

X-1905046

VC
3152^a





Qh 29, 8

V c
3152^a

D E

Serenissimo atque inclyto Principe,
CHRISTIANO II.

Duce Saxoniae, Juliae, Cliviae, & Montium, S. R.
Imperij Archimarschallo & Electore, &c.

ORATIO FUNEBRIS,

Dicta Lipsiae,

In frequentissimo Academiae Urbisq; conventu,

Ad celebrandam Divi Principis memoriam,

Die VI. M. Augusti,

Anno CHRISTI 1680. 1681. XI.

a

JO. FRIDERICO FRANCO,

Utriusq; Linguae & Historiarum

Professore publ.

Accessit

*Rerum, circa vitam & gubernationem Principis inclyti, me-
morabilium Index Chronologicus, eod. autore.*



aa

Sere.





Sereniss.^{mo} & Celsiss.^{mo} Principi &

Domino, Dn'

IOANNI GEORGIO,

Duci Saxoniae, Juliae, Clivae & Montium, S. Rom
Imperij Archimarschallo & Electori, Landgravio Thu-
ringiae, Marchioni Misniae, Burggravio Magdebur-
gensi, Comiti de Marca & Ravensburg,
Domino in Ravenstein, &c.

Domino suo clementiss.^{mo}

Lipsiae,

Felicissimis auspiciis,

Homagium suscipienti à subditis,
Salutem & Prosperitatem perennem,

à CHRISTO,

Salutis autore unico,

humilimè precatur

JOHAN. FRIDERICUS, PROF. PUBL.



*Agnum mœrorem, & luctum incredi-
bilem, Serenissime Princeps, Domine clementiss
non ita pridem huic Academiae & Vrbi, imo
Ducatusi universo Saxonico, peperit, inopinatus
& repentina mors laudatissimi Principis, Chri-
stiani II. Saxonie Ducis & Electoris inclyti.
Qui enim Ecclesiae orthodoxae columen erat, in hac orâ Septen-
triona*

**BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA**



trionali, qui Pater patriæ, custos pacis, justitiæ patronus & defensor acerrimus; hunc, fato abreptum, eâ celeritate (proh dolor!) in ipso ætatis flore, amisimus, ut citius de illius obitu nuncius, quàm de invaletudine rumor aliquis, ad nos afferretur. Quod igitur olim apud Thebas sublato Amphiarao, exclamasse fertur Adrastus, Argivorum Rex:

Ποθῶ σεαυτῆς ὀφθαλμὸν ἐμῶς.

Desidero oculum mei exercitûs:

Id non immeritò nos etiam in hac clade miserabili usurpavimus: Heu! desideramus oculum Imperii, oculum Patriæ, oculum Ecclesiæ: Cecidit columna domûs Saxonica, columna Reipublicæ: Iacet Asylum Pacis, solatium Musarum evanuit.

At enim, quò gravior iste luctus, & dolor, ex eâ calamitate conceptus, acerbior fuit: eò nunc gratior, eò latior, illustriss.^{me} Dux & Elector JOHAN. GEORGI, sereniss.^{me} Celsitatis tue aspectus, nobis omnibus affulsit: quo ita recreati sumus, ut non leviter respirasse, sed emersisse penitus, ex summo squalore, luctuq; illo nostro, videremur. En! Assurgit T.^a Seren.^{tati} cum subjectissimâ congratulatione, universa Civitas: Ecclesia se letabunda patrociniò & tutela paternæ T.^a Celsitatis submittit: Respublica gestiens, sese ad fidem, ad obedientiam astringit: cuncti ordines, se lubentes imperio gubernationiq; æquissimæ subijciunt. Inprimis autem, lætitiâ admirabili perfusa, inclytæ hac Academia, quem hæcenus suorum Privilegiorum, jurium, immunitatumq; omnium conservatorem & defensorem experta est benignissimum, in eo quoque deinceps, secundum DEVM, spem omnem salutis & incolunitatis, fixam collocatamq; habet. Id unum modò reliquum est, ut divinâ virtute, sine quâ nihil est in viribus humanis, suffultam inclytam T.^{am} Cels.^{tatem}, salvam florentemq; hæc ora Saxonica, quàm diutissimè aspiciat: Ita demum (quod exoptamus omnes) sincera & incorrupta religio in Ec-

clesia, literarum & artium scientia in Scholis, justitia in foro,
pax & tranquillitas in cunctis partibus Reipublica, ad perpetuita-
tem, efflorescet.

Hoc votum, Princeps sereniss. me commune mihi est cum
hactotâ urbe ex Academia: Idq̄, pio studio, unâ cum oratione Pa-
rentali, quam de laudatiss. mo Electore Christiano II jussu hujus
inclytæ Academiæ habui, expromere mihi hoc tempore libuit:
Quod ut T.ª Sereniss. ma Celsitudo, pro innatâ suâ clementiâ,
singulari & eximiâ, in optimam partem accipiat, Universita-
temq̄ hanc clementissimè sibi commendatam esse sinat, omni, que
parest, studio, subjectissimè humilimèq̄ oro. Lipsiæ, die XVIII

M. Septembris, quo solenniter in FIDEM recepta

Vrbs & Academia: Anno CHRISTI

CI? I? c. XI.

Pulcherrimum
Decedentis Principis
Epitaphium
SUCCESSOR BONUS.

Nicephorus, in oratione
Tiberij Imperat. ad Populum.

DE



D E

Sereniss^o. atq; inclyto Principe,
CHRISTIANO II.

Duce & Electore Saxonix,
ORATIO FUNEBRIS:

LIPSIÆ

In æde Paulinâ,

Ad celebrandam divi Principis memoriam,

Habita

Postridie Nonas Sextiles,

ANNO CHRISTI

c l c. I c c. X I.



I, quod hominibus optare fas est, atq; flagitare precibus à DEO præpotente & immortalis, id ipsum pariter in nostrâ manu potestateq; situm esset, nequaquam iusta persolveremus hodiè laudatissimo & inclyto Saxonix Duci, Imperiique Romani Septemviro & Electori, CHRISTIANO SECUNDO, Principi & Domino nostro benignissimo & desideratissimo: utpote quem nobis & communi Patriæ superstitem omnes expetivimus, & per vota supplicationesq; pias, assidue hæcenus à divino Numine precati sumus.

A a

Erenim

Etenim ita nobis persuasum omnibus erat : in hac fatali perurbatione rerum, & tempestatum procellis formidulosissimis, quibus jam aliquot annos jactata salus Imperij Romani, atque afflictata mirificè fuit, divinitus regionibus hisce datum hunc Principem, ut sub illius præsidio & tutelâ, salva nobis religio, facta & tecta justitia, suisq; stabilita & firmata nervis, Pax publica, consisteret. Et sanè commoditatibus hisce, prorsus eximus, frui nobis licuit in hac universâ ditione Saxonica, quàm diu vita laudatissimo illi Principi nostro, DEI munere, concessa in his terris fuit. Floruit hætenus, sub inclytâ Rutâ Saxonica, nullis turbata dissidiis, aut infecta & deformata erroribus, Ecclesia; viguit Politia; triumphavit hoc duce & defensore Pax aurea, regnavit in foro, in judiciis, curiis, alma justitia; deniq; vita omnium, privata & publica, inter istos strepitus armorum, ac conflictus horribiles, quibus passim pressa atq; agitata Germania fuit, quietè & tranquillè in his regionibus, sub optimo Principe transacta est.

Sed ô fortunæ, si qua dominatur rebus humanis, mutabilitatem & inconstantiam! ô fati asperitatem & inclementiam! quæ sublato prostratoq; hoc columine Domûs Saxonicae, tantâ nos bonorum affluentiam subito privavit: quæ spem & præsidium Patriæ, Ecclesie orthodoxæ propugnaculum, Germaniæ & toti imperio fulcrum, & decus illud eximium, omni penè opinione citius, eripuit, extinxit. Ubi jam expectatio pulcherrima? ubi spes illa egregia, quam de heroica animi illius excelitate conceperamus, in posterum? Concidit illa cum ipso Principe; concidit; eversa est, tumulo simul illata & sepulta est. Ubi jam facies illa rerum, qualis adhuc paucis antè diebus, salvo hoc Principe, passim locis omnibus apparebat? ubi decor
ille

ille & amœnitas Urbis? ubi splendor Academiæ? Nimirum ante oculos obversantur omnia, quocumque me ver-
to, plena mœroris, horroris, luctûs & tristitiæ. Video a-
stantes longo ordine, veste pullâ atque attratâ, viros hujus
Urbis & Academiæ primores; juvenesque literatos, Nobi-
les & ingenuos, magnâ frequentiâ circum fusos; qui omnes,
non tam externâ illâ corporis specie, quàm duâs identi-
dem, ex alto pectore gemitibus & suspiriis, profusisq; per
ora lacrymis, sui luctûs atque doloris acerbissimi vim &
magnitudinem declarant. Aspicio templi habitum istum,
prorsus alium, novum, insuetum, & colore ipso, luctûs at-
que mœroris publici indicia, quodam occulto quasi dolo-
ris sensu, nobis suggerentem. Quin etiam mihi videre vi-
deor, ipsos hosce Parietes sacros, lugentes & deplorantes
calamitatem nostram, quæ Principis optimi decessu, tam
repentino & inopinato, totam hanc oram Misniæ, finiti-
masq; regiones, subitæ cujusdam & turbulentissimæ tem-
pestatis instar, oppressit.

Utinam verò ego, qui jussu atque autoritate amplif-
simi Consilij Academici, ad dicendum, in squalore & luctu
hoc nostro gravissimo, solus surrexi hoc tempore! Uti-
nam, quantum doloris sustineo atque ægritudinis in hac
communi animorum perturbatione, tantum eloquentiæ
ad celebritatem hujus funeris afferre, paremq; acerbitati
ejus dicendi vim atq; copiam, expromere possem! utique
præ cæteris, in leniendâ sopiendâq; atrocissimi vulneris hu-
jus sævitiâ, aliquid eximium, meo loco, præstarem. Sed
fateor ingenuè, me cum aliàs dicendi facultate parcè &
tenuiter instructum, tum hoc tempore adeò mœrore un-
dique oppletum & circumfusum esse, ut quid dicam de in-
clyto Principe nostro, unde incipiam, ubi desinam, vix in
hac

hac animi perturbatione reperiam. Veruntamen, ut aliquo modo perfungar imposito munere, id nunc constitutum mihi est dicendo exequi potissimum, quod & consuetudo inveterata requirit, in huiusmodi celebrandis exequiis, & illustrissimi Ducis nostri, in CHRISTI sinu jam quiescentis. memoria laudatissima, à nobis suo quasi jure postulat: ut videlicet vita Principis inclyti, & virtutes, quæ præsertim in illius gubernatione eluxerunt, præclarissimæ, breviter & strictim ex loco hoc commemorentur. Nam ex narratione hac magis apparebit, præsertim imperiæ juventuti, quæ sæpè nec privata damna, nec publica satis intelligit, aut perpendit, quem quantumque amiserimus Principem: quàm egregiis ipsum dotibus ornaverit DEUS: quanta, per ipsum, in nos, in Patriam, in Nationes & terras finitimas, in universam denique Germaniam, merita contulerit: Atque ex eo conjectura demùm fieri poterit, de tristissimo, quem meritò omnes deploramus, tanti Principis casu & occasu; deque vulnere, quod per immaturum illius obitum accepimus, acerbissimo.

Satis autem ipse intelligo, me laudibus tanti herois, vel recensendis, ne dicam exornandis aut illustrandis, planè imparem esse; cùm existimem, splendorem istum virtutum maximè memorabilium in hoc Principe, rerumque præclare & laudabiliter ab eo gestarum amplitudinem, vix oratione ullâ, quamvis disertissimâ, æquari posse. Verùm in hoc tam pio instituto, equidem malo succumbere laudum oneri, atque sub illo cumulo virtutum splendidissimarum opprimi ac contumulari; quàm aut inertiam & timiditate, postremum hoc, quod debemus sanctissimo Principi, præteritis officium defugere; aut aliquam morositate, quantulamcumque hanc operam meam, ipsi Academiae,
Nutri-

Nutritiæ benignissimæ, subtrahere. Faciam igitur in hoc argumento, quod potero; idq; stylo, magis ad simplicitatem historicam, quàm oratoriam in dicendo venustatem & elegantiam, accommodato: quandoquidem & ipsi Magistri Eloquentiæ, ab hoc orationis genere, artis observationem abesse, gemitusq; perpetuos & suspiria duntaxat adesse oportere, statuunt. Vos autem, quotquot adestis, omnium ordinum, viri Magnifici, nobilissimi, amplissimi & honoratissimi; vosque genere, virtute, & literis ornatissimi politissimiq; juvenes; ut, quemadmodum antehac consuevistis, benevolè me dicentem attentèque audiatis, omni, quo par est, studio atq; observantiâ oro.

Qui vitas virorum illustrium & res gestas orationibus atq; scriptis celebrare instituunt, ijs solenne est, à natalium splendore, generisq; profapiâ & nobilitate exordiri; sive quòd à familiæ claritate atq; amplitudine pulchritudo quædam & dignitas eximia virtuti existimetur adungi; sive quòd ipsa virtus, à parentibus in filios, ab avibus atavisq; in nepotes & posteros, per generationem propagata, ac quasi cum ipso sanguine transfusa, non aliundè rectius, quàm ab hoc ortu suo, ac veluti primâ scaturigine, derivetur. Ego verò, quanquam morem illum, jam olim receptum in scholis Rhetorum, & usu postea frequentius usurpatum, minimè reprehendendum existimo; cum certum indubitatumque sit, semina illa virtutum heroicarum, quæ pluribus retrò annis, in familiis generosis & illustribus, per res gestas egregias, sese exeruerunt, denudò quasi germinare atque efflorescere, in posterorum sanguine: Tamen nullam video causam, cur, in nostro laudando Principe, in istos campos laudum adscitiarum, atq; illa generosissimæ stirpis Saxonice penè im-

mensa latitundia, oratione digrediendum nihil; cum
 aliàs sciant omnes, inter illustrissimas Européas familias,
 Saxonica domus splendorem, longè lateq; sparsum & dif-
 fusum, multis jam seculis eminuisset. Etenim; quis ita ho-
 spes, in historia præteritorum temporum, quin nesciat,
 jam inde à VVIDEKINDO Magno, Rege Saxonum ultimo,
 illustrissimi Ducalis stemmatis Saxonici conditore, usque
 ad hanc nostram memoriam, annis amplius octingentis,
 stirpem illam inclytam, tot Imperatorum, Regum, Ele-
 ctorum, Ducum atq; Principum procreatricem, nunquam
 defuisse heroes progignere, bello & pace præclarissimos &
 celeberrimos, quorum magnanimitas, virtus, sapientia,
 fortitudo, pietas, sparsa & disseminata in orbis terræ me-
 moriam, adeoq; literarum monumentis, nunquam inter-
 ituris, jamdudum æternitati consecrata est. Ad hæc, dum
 verba facimus de principe, omni laude pietatis, justitia,
 prudentiæ, mansuetudinis & beneficiæ cumulatissimo,
 certè haudquaquam in fundo aliquo sterili, sed uberrimo
 virtutum amplissimarum campo versamur; in quo subsi-
 diariam illam exornandi materiam, à Natalium splendo-
 re atq; amplitudine tractam, merito non æstimamus; sed
 animos sensusq; convertimus ad hunc unum, quem facta
 nobis inspiciendum, admirandum, lugendum, deploran-
 dum, hoc tempore ante oculos posuerunt. Is verò est
 (proh dolor!) inclytus Saxonica Dux & Elector, CHRISTI-
 ANUS SECUNDUS, dominus & nutritus hujus Academia
 benignissimus, & ditionis universæ Princeps desideratissi-
 mus; quem paucis antè diebus, vivum adhuc, ferebamus
 in oculis, admirabamur, omni honoris ac venerationis
 cultu prosequeremur; at nunc mortuum, nunc sublatum
 è vivis, nunc (cheu!) imperscrutabili voluntate DEI nobis
 ereptum, dolenter requirimus, acerbè lugemus, deploramus.

Hunc

Hunc Principem, de quo omnis sermo noster deinceps futurus est, Dresdæ natum accepimus, anno salutiferæ Nativitatis CHRISTI, post Millesimum, quingentesimum, tertio & octuagesimo; nono calendas Octobris; horâ diei IV. antelucanâ: quem diem, ac penè etiam horam pariter olim OCTAVIO CÆSARI AUGUSTO, potentissimo Romanorum Monarchæ, Natalem fuisse, Suetonius memoriæ prodidit. Nato Principe hoc CHRISTIANO II. statim lætæ congratulationes auditæ, ac faustæ comprecationes cunctorum Ordinum, in Ducatu Saxonico hoc universo; nec non vicinorum ac cognatorum in Imperio, potentissimorum Electorum, Ducum atq; Principum. In primis Pater, qui fuit celsissimus & generosissimus, id temporis, Saxonix Dux, CHRISTIANUS, hoc nomine, PRIMUS, non multò post, defuncto Parente AUGUSTO, S. Romani Imperij Septemvir & Elector, Princeps heroicâ virtute atque animi excelitate nulli majorum secundus, sibi de primogenito filio hoc gratulatur; quem a vitæ patrisq; virtutis strenuum imitorem, atq; in eminentissimo illo Imperij Synedrio, & dignitate Septemvirali, Successorem aliquando fore, opinione haud dubiâ statuit: In lætitiâ pariter effusa Mater, heroina generosissima, & illustrissima domina SOPHIA, Serenissimi & inclyti Principis, JOANNIS GEORGII, quondam Marchionis & Electoris Brandeburgici, filia; ac CHRISTIANI I. Saxonix Electoris, eo tempore, Conjux inclyta; quæ præpotentis DEI gratiâ, superstes in hunc usque diem, non modò successorem in patriâ & avitâ gubernatione filium, sed etiam in Electorali constitutum eminentiâ, & Imperij dignitate amplissimâ, jam toto penè decennio vidit: At nunc (ô temporum! ô fortunæ, fatiq; vicissitudinem!) funeris spectaculum



acerbissimi, nobiscum, pariter ante oculos positum habet. Quantam verò lætitiã, è nuncio geniti Nepotis exoptatissimo, perceperit eo tempore laudatissimus Saxoniz Dux & Elector AUGUSTUS, avus, ætate jam grandis, & amplissimæ gubernationis onere penè fractus & debilitatus; Pientissima item AUGUSTI Coniunx, heroina inclytã, ANNA, Serenissimi Danorum Regis, CHRISTIANI III. filia, beatissimi Principis nostri avia; vix satis oratione quisquam expresserit. Id certè nulli fuerit dubium, multò jucundiorẽ ipsi & dulciorem extitisse reliquam ætatem, quã novum veluti fulcrum illustrissimæ Domus Electoralis Saxoniz, intueri eis, jam penè labantibus senio, licuit: Tametsi vita ambobus haud diuturna amplius in his mortalium ærumnis superfuert. Nam decessit avia serenissima biennio post; anno videlicet quinto & octuagesimo, calendis Octobris: quam altero statim anno, sexto & octuagesimo, Mense Februario, secutus est, magno cum lætu & desiderio cunctorum ordinum, illustrissimus quoque Imperij Septemvir, AUGUSTUS, Princeps pius, magnanimus, justitiæ pacisq; amans, constans, gravis, denique omni laude virtutis & sapientiæ eminentissimus.

Porro eminuit in nostro Electore, primo statim ille flore ætatis, quo se prodere virtutum igniculi solent, vis quædam animi planè generosa, & heroica, quam excitare, alere, augere ac confirmare, parentes illustrissimi, modis omnibus studuerunt; adhibitis, eam ad rem, morum & studiorum Magistris Aulicis, viris solertissimis atque integerrimis, quorum ille ductu atque auspiciis, magis ac magis, indies, in pietate, literis, moribus, aliisque tam animi quàm corporis, exercitiis liberalibus proficeret. Et præclare

clare se jam tūm initia dabant; nec quidquam ab hoc Principe, nisi quod singulare atque eximium esset, expectare quisquam poterat.

Sed casus (heu commutationem rerum humanarum, & inconstantiam!) planè luctuosus & tristis tūm incidit, cūm vix ætatis annum octavum Princeps noster complevisset; & tūm vel maximè, cūm fratribus generosissimis, ætate adhuc debili, præsidio & tutelâ paternâ indigeret. Eripitur his terris, morte prorsus inexpectatâ & immaturâ, CHRISTIANUS I. Saxonix Dux & Elector, Pater desideratissimus, caput & columen Septemviratûs Saxonici: & in squalore luctuq; gravissimo, & orbitate miserabili, aula Electoralis illustrissima, & hæc universa Ditio Saxonica relinquitur. Hac sævissimâ quasi tempestate (quæ incidit in annum primum & nonagesimum) non parùm perculsa fuit & afflicta Respublica: Nam fulcrum sustulerat primarium Imperio Romano; Principibus generosissimis, adhuc impuberibus, Patrem; Nutritium Scholis & Ecclesiæ; & his regionibus propugnatorem magnanimum, & defensorem, sub quo religio, justitia, tranquillitas & Pax publica floureret, atque optata incrementa caperet.

Veruntamen accidit, singulari clementiâ atq; beneficio DEI, ut clades illa, quæ tūm ex obitu nostri Ducis videbatur communibus rebus impendere, ope subsidiariâ laudatissimorum & optimorum Principum, ad quos Tutela fuerat delata, tempestivè ab his oris undiq; averteretur. Senserat enim maturè Dux inclytus, CHRISTIANUS, se cum morbo conflictari periculoso & difficili, atque ad illius sustinendam violentiam, vires sibi vix suffecturas esse. Tutelam itaque liberorum impuberum, & totius simul

Electoratûs Saxonici administrationem, non tam agnationis jure, quod est expressum in Aurea Bulla CAROLI I V. quàm suâ ipsius apertâ declaratione & voluntate ultimâ, committit inclyto Principi FRIDERICO GULIELMO, Duci Saxoniae agnato: atque in eo gubernationis munere ampissimo, Parastaten ei adjungit Principem illustrissimum, JOANNEM GEORGIUM, Marchionem Brandeburgensem, Electorem, Socerum: His summam rerum committit, idque præcipuè ab iisdem flagitat, ut ingenuè liberaliterque filij impuberes educantur, omniq; cultu verae pietatis & virtutis heroicæ imbuantur à teneris: & ne ullam aliam, quàm nativam & incorruptam illam AUGUSTANAM Confessionem, in suis ditionibus quas relicturus liberis sit, tueantur.

Venerat eo tempore Dresdam, cum gravissimè CHRISTIANUS I. Elector ægrotaret, adeoque etiam biduo post vitam hanc mortalem clauderet, Legatus quidam à RUDOLPHO Cæsare, ad visendum salutandumque, nomine Cæsaris, decumbentem Electorem. Verùm ita vis morbi creverat iis diebus atque invaluerat, ut Legatum, quamquam maximè cuperet, coràm audire non posset. Post biduum verò, cum è vivis jam excessisset Elector, Socer illius, Princeps optimus, JOANNES GEORGIUS, Elector & Marchio Brandenburgicus, admitti Legatum jubet: ac cum mandata sua exponentem eum audisset, mox illi sistit tres Nepotes suos parvulos, Principes Orphanos, quos manibus ducebat: ab unâ parte Principem hunc nostrum defunctum, CHRISTIANUM II. octennem tum temporis puerum: ab alterâ JOANNEM GEORGIUM, jam successorem in gubernatione exoptatissimum, Ducem & Electorem Saxoniae, omni laude pietatis, virtutis & sapientiae

entia eminentem, annum ætatis sextum id temporis agentem; & AUGUSTUM, Principem inclytum, tùm adhuc quasi bimulum: Hos sacræ Cæs. Majestati, tanquam capitiorbis Christiani, & supremo, post DEUM, Tutori committit, oratione ad Legatum institutâ, plenâ suspiriorum, & submissæ erga Cæsarem observantiæ: Quam commemorationem & gratam imperatori fuisse, & eventu optabili non caruisse, multis postea iudiciis compertum est. Ea sanè res videretur occasionem præbuisse, laudatissimo nostro Electori defuncto, ut Imperatorem inclytum, RUDOLPHUM, tanquam Magistratum summum in hoc orbe, & tanquam Patrem alterum, subjectissimè postea per omnem vitam honorârit ac coluerit: eidemque summâ fide ac constantiâ, animiq; ardore & studio incredibili, hisce præsertim annis posterioribus, turbulentissimis & difficilimis, semper præstò fuerit. Atque hoc modo Princeps noster, re ipsâ atque opere perfecit, quod animo sensit, atque ore & calamo frequenter usurpavit:

TIME DEVM: HONORA CÆSAREM.

Etenim hoc symbolo, pio, & digno Principe Christiano, Divum Electorem nostrum, præcæteris, semper impensè delectatum fuisse, scimus.

Delatâ autem (ut diximus) susceptâque, post obitum CHRISTIANI I. Electoratus Saxonici administratione, Tutores ambo illustrissimi, in eam præcipuè curam incubuerunt, ut & religionem in his ditionibus synceram, ac cum revelato verbo cœlesti congruentem, acceptam à D. Luthero, & in Confessione Augustanâ & Concordiæ libro comprehensam, propagarent; & simul Politiam, secundum omnes partes, rectè constituerent: Inprimis
verò

verò operam darent, ne in Pupillorum illustrium institutione atq; educatione laudabili, in qua, secundum DEUM, harum regionum salus atque incolumitas sita esset, quidquam negligeretur. Qua in re prorsus salutarem operam, & Ducatui huic universo Saxonico fructuosam, illi præstiterunt; communicatis invicem consiliis, conjunctisq; ac collatis operis, usq; ad annum septimū & nonagesimum, quo princeps & Elector inclytus, JO. GEORGIUS, Marchio Brandenburgicus, illustrissimorum Principum impuberum avus, atq; Contutor, ætate jam grandævā, decessit ex hac mortali vita; atq; ita totum onus gubernationis, & Tutelæ Electoralis, reliquit agnato Principi FRIDERICO GUILIELMO, Duci & Proelectori Saxonie, laude immortalis dignissimo. Is verò, pro eā, quā præditus erat, pietate, prudentiā, industriā, animiq; moderatione prorsus eximiā & heroicā, non modò pacatum & florentem Reipublicæ statum, inter illos vicinarum gentium terrores horribiles, & motus formidabiles, toto illo gubernationis suæ tempore, conservavit in hisce regionibus; sed eundem quoq; cum discederet ab Administratione decennali, cunctis partibus suis integrum inviolatumq; Electori hæredi, CHRISTIANO SECUNDO, Saxonie Duci, de manu quasi in manum, tradidit: Id quod factum est, anno primo, seculi hujus incuntis, septimi & decimi, à nato CHRISTO, generis humani Redemptore.

Nam eo tempore, cum Princeps noster annum ætatis XVIII. feliciter complevisset, atq; iis jam polleret dotibus animi, quæ ad tanti regiminis sustinendam molem necessario sunt, XI. Calendas Octobris, qui Natalis olim ipsi fuerat, juxta tenorem BULLÆ AUREÆ, Electoratûs Saxonici gubernationem, dignitatemq; Septemviralem splen-

splendidissimam, more sollemni suscepit, quo eodem anno GEORGIUM, Saxoniae Ducem, nostri Electoris Propatrum, sub ingressum superioris seculi XVI^{ti}. cum Patris eius, ALBERTUS, in Phrysiâ diem suum obiisset, similiter homagij iuramentum à subditis exegisse, legimus. Magna tum lætitia erat, ac congratulatio omnium Ordinum, in Ducatu hoc Saxonico. Adventabant in aulam Electoralem, viri Principes: Confluebant hinc inde Comites, Barones, Nobiles, ingenti numero; qui novum Electorem salutarent, fausti q̄; appreciationibus illi de honore & dignitate Septemvirali gratularentur. Mater imprimis illustrissima suam pluribus signis lætitiâ declarabat, Fratresq̄ generosissimi, JOHANNES GEORGIUS & AUGUSTUS, Principes inclyti. Factitabat idem, laudatissimus Saxoniae Dux, FRIDERICUS GULIELMUS Tutor, qui Principi CHRISTIANO, tanquam filio, gratulabundus Septemvirale regimen offerebat. Intervenere quoque Cæsareæ Majestatis Legati, viri aliquot illustres & generosi; tum Serenissimus Archidux Austriae MAXIMILIANUS ipse; cum aliorum Principum Imperij Consiliariis, viris præclarissimis, qui pariter omnes congratulati nostro Principi, de novâ Electorali dignitate, & fausta fortunataq̄; cuncta à præpotente & immortalis DEO precati sunt.

Novus autem Elector, ut suam vicissim, erga RUDOLPHUM Imperatorem, observantiam, Majorum exemplo laudatissimo, testatam aliquâ ratione faceret, eidem mox initio gubernationis, aliquot tormenta bellica, cum omni apparatu necessario, ad Turcam debellandum in Hungaria, dono misit; atq̄; inter ea, duas paulò grandiores fulminares machinas, hac insignitas inscriptione:

Ce

DEO,

DEO, ET IMPERATORI SUO
 RUDOLPHO II. PIO, FELICI,
 VICTORIOSO, PATRI PATRIAE,
 D. D.

CHRISTIANUS II. ELECTOR
 SAXONIAE.

Quo quidem munere ita lætatus est Optimus Imperator, ut verbis & gestu palàm ostenderit, nihil sibi gratius, hac observantiæ, fidei & amoris testificatione, fieri potuisse.

Opus autem habuit Cæsar RUDOLPHUS, si unquam aliàs, certè annis hisce præteritis, in quos Principis nostri gubernatio incidit, Parastatâ animoso, fideli ac constanti, in Imperio. Nam & Turcica bella, quæ nostri Imperatoris auspiciis, contra Monarchas tres potentissimos regni Orthomannici, AMURATHEM, inquam, MAHOMETUM & ACHOMATEM, avum, patrem & filium, usq; ad annum penè sexcentessimum octavum, variâ fortunâ, in Hungaria & vicinis oris gesta sunt, mirificè tot annis afflixerunt imperium: Et dissensiones illæ pestiferæ, motusq; intestini terribiles, in ipsis penè visceribus Germaniæ, his proximis aliquot annis excitati, ferè labefactare statum Reipubl. atq; ad ruinam horrendam impellere visi sunt. In his verò motibus sedandis, arcendisq; Imperij pestibus internecivis, quem magis sollicitum, magis laboriosum, vigilantem, industrium vidimus, nostro Electore? Qui coràm in aulâ Cæsarcâ, qui per literas, per Legatos ad diversa loca, non cessavit tueri augustam dignitatem Imperatoriam, pacem & tranquillitatem svadere, communem Imperij salutem incolumitatemq; defendere. Hæc causa nimirùm fuit, quæ TIBI, augustissime Cæsar RUDOLPHO,

PHE, dolorem acerbum mœroremque iniecit: quæ TIBI gemitus, suspiria, lacrymas expressit; nuncio illo funesto & tristi allato de nostro Principe; quem tibi superstitem florentemq; illustrissimo Septemvirali Synedrio; quem perpetuum & immortalem in Imperio Parastatam optabas. Sed ad narrationem institutam revertamur.

Cum hoc modo, ut diximus, suscepta jam esset à nostro Principe Electoratûs Saxonici gubernatio, sine morâ subditos harum regionum, jure-jurando devinctos, in suam fidem recepit: nec multo post, eodem anno, M. Decembri, conventum Provinciale Torgæ habuit; in quo, ante omnia, laudabili Antecessorum exemplo, religionem eam, quæ continetur in Bibliis sanctis, & Augustanæ Confessionis formulâ primigeniâ & incorruptâ, congregatis Saxonici Ducatûs ordinibus seriò commendavit. Rectè enim judicavit Princeps noster, hoc fulcrum & firmamentum esse bonæ gubernationis, fontemq; & scaturiginem omnis humanæ felicitatis; si, secundum normam verbi divini, de Deo aliisque; veris & necessariis vitæ officiis, homines informantur: Ideoque in eâ parte sollicitè evigilavit, atque ut purissima lux verbi cœlestis, nullâ errorum offusâ caligine, per omnes suas ditiones clarissimè splenderet, sedulò & enixè operam dedit. Deinde in eodem conventu visitationem Academiarum, judiciorum Ecclesiasticorum, & Scholarum illustrium, decrevit: & de rebus aliis ad conservationem, ornamentum & decus Reipubl. pertinentibus, necessariam deliberationem instituit. Plena autem erant in eo conventu omnia, clementiæ, mansuetudinis & liberalitatis; apparebatq; jam eo tempore, qualis etiam in posterum optimi & laudatissimi Principis gubernatio futura esset.

Incidit tùm in eundem Mensem, anni hujus nonagesimi primi, Ratisbonense colloquium, inter Catholicos Romanenses, & Evangelicos Theologos, de MAXIMILIANI Bavariæ Ducis, & PHILIPPI LUDOVICI, Comitum Palatini Neubergensis, voluntate & sententiâ institutum. Ad hoc promovendum & ornandum, pro suâ pietate & religionis orthodoxæ amore incredibile, noster etiam Princeps, ex VVitebergensi Academia, duos excellentissimos Theologos, D. Aëgidium Hunnium, & Davidem Rungium, præter cæteros, misit. Quanquam autem ea res non sortita est eventum illum, qui à multis avidissimè expectabatur: Nam initio statim, super quæstione illâ illustri, & maximè necessariâ, *De iudice controversiarum in fidei & religionis Christiana negotio*, disputatio illa repente abrupta & dissipata fuit: Tamè & nostri Principis studium intuendâ causâ religionis, plenum pietatis, & laudabile, apparuit; & præter cætera, dogma pudendum istud, de Romano pontifice, quem scripturæ divinæ, adeoq; ipsius Spiritus sancti Magistrum & Aristarchum adversarij constituunt; tùm ipso colloquio, tùm quibusdam scriptis, in publicum postea editis, luculentissimè refutatum est.

Cæterùm, visitatio specialis Academiarum & Scholarum illustrium, quam decretam in Provinciali conven-
tu paulò antè diximus, suscepta statim, magnâ omnium expectatione, & successu optato eventuq; felici perfectâ est, M. Majo, sequentis anni sexcentesimo secundi. Id sane testari nos ipsi possumus, quotquot eo tempore viximus in Univeritate hac, consilia omnia Principis inclyti ad decus & incrementum Academiae, studiorumq; liberalium, unice directâ fuisse: cum non solum rectè constitutas vellet, in omni genere disciplinarum, & Artium, publicæ do-

Arinae

trinae Professiones ordinarias, sed prospectum quoque ijs, qui publicè docent, de uberiori aliqua sustentatione; in hac præsertim difficultate asperitateque temporum, quæ jam tum augeri supra modum, atque invalescere undique videbatur. Atq; hanc suam affectionem, erga studia liberalia, eximiam, voluntatemque munificentissimam, testatam imprimis facere voluit doctrinae Publicæ Professoribus; constitutâ ultrò, ad eorum stipendia, Pecuniarum accessione præclarâ. Quam munificentia illustrissimæ donationem egregiam, nonnihil hæctenus impeditam & dilatam, vivo Electore laudatissimo, nunc eodem mortuo, penitus sublaram & extinctam minimè arbitramur: quin potius auctam amplificatamq; novam istam accessionem, à serenissimo atque inclyto Principe, fratre, legitimo successore in Electoratu Saxonico, studiorum liberalium Mœcenate altero, & patrono exoptatissimo, spe neutiquam dubiâ, nobis pollicemur.

Quemadmodum verò læta erant illustrissimæ gubernationis auspicia, in alijs plerisque rebus: sic anno hoc altero, mors improvisa Ducis inclyti, FRIDERICI GULIELMI, quem, ceu Parentem alterum, Princeps noster amabat ac venerabatur, non parùm illius animum perturbavit. Nam & merita amplissima Optimi Principis, ante oculos ipsi obversabantur, in illâ decennali Electoratus Saxonici Administratione gravissimâ & difficilimâ: Et sapientissima consilia, quibus se privari, in istis difficultatibus rerum & temporum, atque orbari, agnati Ducis inclyti decessu, arbitrabatur.

Sed lenit dolorem atque ægritudinem, tum ipsa *evdava síα*, beatissimi Principis, memoriaq; nominis, relicta inter vivos, laudatissima: tum pia cogitatio de nuptiis,

quas anno eodem, M. Septembri, cum inclytâ Sponsâ,
 HEDV VIG E, serenissimi Daniæ Regis, FRIDERICI II. fi-
 liâ CHRISTIANI IV. sorore, jam (cheu!) viduâ moestissi-
 mâ, apparatu rerum omnium magnificentissimo & splen-
 didissimo, Princeps noster, in Electorali urbe Dresdâ, ce-
 lebravit. Visæ sunt in istâ celebritate nuptiarum, præter
 alia multa spectacula & certamina, equestria & pedestria,
 jucundissima, natantes Sirenes, in Albi fluvio, cum Ne-
 ptuno, balænae tergo insidente, atq; ante se quatuor agen-
 te equos; artificioso perquàm ingeniosè ad delectandum
 excogitato, cujus simile nunquam observatum, in his oris,
 superiori memoriâ. Ipsas verò nuptias, planè regias, suâ
 præsentia splendidissimè exornârunt, præter Cæsareos, ali-
 orumq; complurium Principum Legatos, tum serenissi-
 ma Sponsæ Mater, Regina Daniæ, vidua; tum illustrissus,
 Elector Brandenburgicus, JOACHIMUS FRIDERI-
 CUS, Marchio, plurimiq; alij Duces & Imperij Prin-
 cipes; cum tantâ Comitum illustrium, virorumq;e
 Nobilium manu, ut aliquot Equitum millia, præter
 reliquam spectatorum turbam penè infinitam, in nu-
 ptiali illâ festivitate amplissimâ, numerarentur. Con-
 jugium sanè Principis inclyti, sterile, & infœcundum â so-
 bole fuit: Attamen usque adeò non caruit deliciis istis at-
 que virtutibus eximiis, quibus fortunata aliàs censerî vita
 conjugalis solet, ut exemplar, imago, atq; speculum ve-
 ræ castitatis, amoris, concordiaæ atq; unanimîtatis, conju-
 ges hi illustrissimi esse potuerint.

Porro, exarserat istis temporibus Sectæ Jesuiticæ fu-
 ror, & sæviendi libido immanis, in religionis Evangelicæ
 confessores synceros & orthodoxos, passim per Croatiam,
 Stiriam, Carinthiam, Moraviam, Austriam, & quasdam
 alias finitimas provincias: nec solùm miseri illi duriter, à
 Carni-

Carnificibus istis concientiarum, immisericorditerque tractabantur: sed etiam in exilium miserabiliter, cum uxoribus & liberis, ejiciebantur. Cum ergo supplices, ad pietissimum nostrum Principem, magno illi numero confluerent: inclyta celsitudo ejus, piâ commiseratione mota, non solum habitandi, in hoc Ducatu Saxonico, jus potestatemque; liberam illis benignissime concessit: sed etiam edictis publicis, anno sexcentesimo-tertio, Mense Februario, passim propositis, serio mandavit omnibus suarum ditionum Præfectis, Quæstoribus, & Civitatum quorumcumque magistratibus, ut & reciperent in municipia, domo patriâque; extorres, & muneribus, pariter Ecclesiasticis & Politicis, si qui nimirum idonei, testimoniisque; fide dignis instructi essent, præficerent: quin etiam à tributo cerevisiario, aliisque consuetis pensionibus, in urbibus quidem Montium Sudetarum quadriennij, in cæteris, biennij libertatem immunitatemque; eis dedit. Quo quidem egregio opere, Princeps noster inclytus, ita testatam orbi fecit pietatem suam, & in exules Christianos, sinceræ fidei ac confessionis socios, beneficentiam: ringentibus interim & frementibus aulae Pontificiæ Romanæ asseclis, ut illius memoriam, nunquam intermorituram, gratis animis sit conservatura & deprædicatura posteritas.

Eodem anno, sexcentesimo-tertio, Legatos suos mittit P. R. noster, Ratisbonam, ad Imperialia Comitia, in quibus, inter cætera, auxilia nova, ad continuandum bellum Turcicum, RUDOLPHO Imperatori, ab ordinibus Imperij decreta: Peculiaris item contributio pecuniarum, ad reprimendas hostiles incursiones, quibus Imperij Romani subditi in Belgio, & tractu Westphalico & Rheno, ab Hispanis, eorumque sociis cohortibus, aliquot jam annos, miserè affigebantur.

Quod

Quod autem bonis & piis gubernatoribus usu venire solet, ut propter diaboli rabiem, adversantis fortunæ telis, & periculis variis expositi terè sint; Idipsum quoque optimum Principem nostrum experiri oportuit, dum mense Aprilis, hujus anni sexcentesimo, tertij, cum venationibus, animi causa, operam daret, tormentaria glande ex insidiis peritus, in vitæ discrimine præsentis, fuit. Sed non est dubium, DEI tùm adfuisse præpotentem manum, opitulatricem in necessitatibus; quæ globum mortiferum, ab hoc electo organo, ac columnâ sincerioris Ecclesiæ, laudatissimo, inquam, Principe nostro avertit: sceleratosque istos & perditissimos Sicarios, qui in necem illius conspirasse ausu nefario, comperti sunt, ad justam pœnam traxit: quam pro merito luerunt, suppliciis affecti condignis tanto scelere, biennio post; anno nimirum sexcentesimo quinto, Mense Januario.

Non parùm quoque, anno sexcentesimo quarto, nostrum Electorem perturbavit incendium horribile, quo urbs illa Metallica percelebris, Annæberga, quondam à GEORGIO Saxonix Duce condita, duodecim fermè horarum spacio, tota conversa in cineres, atque absumta est. Quam fortunam, sanè miserabilem, annis subsequētib, etiam alia nonnulla Ditionis hujus oppida, experta fuere: In quorum egestate sublevandâ, Princeps noster inclytus, suam imprimis elucere benignitatem voluit.

Quantam verò molem curarum, laborum, molestiarum præcedentibus jam annis sustinuerit Princeps noster Elector, facile è gravissimo & amplissimo gubernationis munere intelligitur: Sed novas, easque apprimè graves ei curas attulit, annus hic, à sexcentesimo, quintus. Nam & do.
mi non.

mi nonnulla incidebant, quorum causâ denuò Provincia-
lis ei conventus indicendus erat, M. Junio; Et horribiliter
id temporis sæviebat in Hungaria, Potschkaii Istváni fa-
ctio formidabilis, qui conflato è Turcis, Tartaris, Hunga-
ris, Polonis & Transsylvanis, exercitu valido, sub inani
prætextu religionis liberæ, RUDOLPHO Cæsari apertè sese
opponerebat. Et diei non potest, quàm brevi tempore ca-
pestis, non Transsylvaniam modò totam, sed etiam Un-
gariam pervaserit; adeò ut copiis fretus Potschkajus, jam
provinciis amplissimis, rëginisq; integris inhiaret. Hic
verò consiliis, hic nervis & robore opus erat, in compri-
mendâ hostili istâ ferociâ, avertendâq; Imperii clade præ-
sentissimâ. Noster equidem Princeps, non minùs de fini-
bus Imperii, quàm suis ditionibus sollicitus, nihil præter-
misit operæ, consilij & auxilij, cum ipsa Cæsareâ Majestate
& Imperij statibus, quod ad pacandam Hungariam, libe-
randamq; ab imminente periculo patriam, pertinere vi-
deretur. Nec verò frustra laboratum in ea re fuit: Nam
Pacificatio solennis, anno altero, sexcentesimo sexto cer-
tis conditionibus subsequuta, hostiles istas molitiones, rapi-
nas & deprædationes universas, compressit ac sustulit.

Nati autem novi quoq; labores Principi nostro, eo-
dem anno, sexcentesimo, quinto, ex immaturo & luctuo-
so obitu Principis Illustrissimi, JOHANNIS, Saxonix Ducis,
agnati: qui Vinarix decedens, exeunte Mense Octobri,
tutelam omnem, tam suorum, quàm FRIDERICI GULIEL-
MI fratris, impuberum Liberorum Principum, admini-
strationemq; & curam illarum ditionum universam Ele-
ctori CHRISTIANO reliquit. Recordabatur hic, optimus
Princeps noster, præstitæ sibi quondam ab agnato FRI-
DERICO GULIELMO, in illa decennali Electoratus

Dd

Saxo-

Saxonici administratione, summæ fidei, atque operæ indefessæ: ac proinde se obligatum agnoscebat, divino & humano jurẽ, ad obeundas istas legitimæ tutelæ vices: quas etiam susceptas, cã gessit diligentiam, labore, fide, usque ad beatum ex hac vita discessum, ut non immeritò generosissimi pupilli Principes, hunc sibi parentem alterum, fato nimis citò præreptum, cum totâ Electorali aulâ, gravissimè doleant.

Unum adhuc reliquum est, idq; præter cætera memorabile, quod in hunc quoq; sexcentimum, quintum annum incidit. Controversiæ nonnullæ, in causâ Privilegiorum, ab antiquo hærebant, inter inclytam hanc Academiam & Urbis Senatum amplissimum, quæ (ut in conjunctis ejusmodi jurisdictionibus fieri solet) non rarò causam præbebant molestis disceptationibus, ab utraque parte. Noster itaque Princeps, ut pax & tranquillitas inter Rempubl. utramque, Academicam & Urbanam, constitueretur; missis Consiliariis sapientiã, rerum usu, atque auctoritate gravissimis & nobilissimis, rem ita transegit, hoc ipso anno, definitis certo modo rationeq; capitibus singulis, quæ in disceptationem & controversiam venire poterant, ut nihil penè reliquum esse videatur, quod causam aliquam dubitationi dissentionive, in ullo rei factio? genere, afferre possit. Et meritò nobis universi gratulamur de insigni hoc opere Transactionis, pactiq; solennis & perpetui, quo pax & concordia, per DEI gratiam, hætenus utrinq; conservata est, & deinceps, quam diu hæc Academia steterit, (nisi ad litigia ac concertationes de industriã animi propendeant) DEO æterno fortunante, citra negotium, conservari poterit.

Habetis, Auditores, vitam & gesta memorabilia lau-

daris.

datissimi Electoris nostri CHRISTIANI II. usque ad annum sexcentimum & sextum: nec tamen omnia, sed potiora tantum, & quæ loco huic imprimis convenire visa sunt. Quod si jam fortuna sequentium annorum, simili serie rerum atque ordine, dicendo pertexenda mihi sit; non equidem hora hæc, imò ne dies quidem, orationi sufficiet. Ea enim conditio horum præteritorum annorum fuit, ut affirmare auisim, memoriâ hominum non obortas in imperio tot procellas & tempestates, tamque periculosas & formidabiles, ut penè ad ruinam & interitum inclinata omnia viderentur. Quare summatim ea, quæ reliqua sunt, nostrâ hac oratione perstringemus: quia præsertim ita adhuc exposita oculis sunt cunctorum, ut commemoratio omnis, in hoc genere, supervacana existimari possit.

Scimus, quâ fortunâ, ab hinc quadriennio, indicta Ratisbonæ, & postea, Præside, loco Cæsareæ Majestatis, FERDINANDO Archiduce, celebrata Comitia, quo deniq; eventu iterum dissoluta & dissipata fuerint. Manavit inde causa Cofœderationis subitæ, inter MATTHIAM Archiducem, & ordines Ungariæ atque Austriæ; expeditionis item inopinatæ & periculosæ in Bohemiam. In his motibus intestinis, planè improvisis & exitiosis, si quisquam est, Auditores, qui sollicitè pro patriâ, pro Cæsareâ autoritate, pro Imperij salute atq; incolumitate vigilavit, cum dixero fuisse nostrum Electorem, CHRISTIANUM SECUNDUM: qui & per Legatos suos, in Comitibus Imperialibus, quod rebus Communibus utile ac salutare visum est, sedulo diligenterq; curavit: & missis postea literis, cum intimis Consiliariis, ad Cæsarem, & MATTHIAM Archiducem, modis omnibus Pacificationem inter eos svasit

Dd 2

& ob.

& obtinuit. Inter hæc, cum infinitimo regno Bohemiæ, sollicitè flagitaretur ab ordinibus Evangelicis, Religionis exercitium liberum, quod nullis antè precibus aut obsecrationibus obtineri poterat: nostri potissimum Principis intercessione factum est, ut & Academiam, reformatæ religionis, introducere in urbem Regiam, & Consistorium Evangelicum ibi constituere, & verbum DEI, parum atque à pontificiis inquinamentis liberum, palàm docere & audire, per regnum universum Bohemiæ, provinciasque adjunctas, RUDOLPHI Cæsaris augustissimi permissu, eis hodiè liceat.

Notum est; Mense Julio, anni sexcentissimi, septimi, cum illustrissimus Elector noster, & Dux generosiss. JOANNES GEORGIUS, Pragæ aliquot dies, apud Cæsaream Majestatem, agerent, duas ibi Conciones Evangelicas, unam in arce Pragensi, alteram in ædibus Rosenbergis, ab Electorali Ecclesiaste aulico, D. Polycarpo Lysero, in maximâ populi frequentia, habitas. Ludibrio tum caræ Sectæ Jesuiticæ erat: Pisciculos aiebant captos, aliquot minutos: damnum magnum à tali piscatore metuendum non esse. Agite verò, fraterculi Societatis I. jam attollite oculos, & circumspicite: Piscatum huic Evangelicum, per Urbem Regiam, per totam Bohemiam, Austriam, Moraviam, adjacentesque oras alias, considerate. ô capturam ingentem! ô nassam verbi divini admirabilem, vestroque formidabilem ordini universo! quâ, brevi tempore, tot hominum millia capta: creptaque è lacunis regni Pontificij turbidissimis, tot civitates, regiones, gentes & Nationes integræ: quas, constrictas vinculis Ecclesiæ Romanæ, nulla vis humana, sed præpotens illa dextra DEI, tandem liberavit, atque è diuturno isto squalore, in hanc
lucem

lucem atque amœnitatem Ecclesiæ verè Christianæ ac Catholicæ, transtulit.

Unum adhuc addo, idq; postremum, & præcipuum, in quo maximè hoc præterito biennio, Principis nostri eluxit virtus, eminuit prudentia, evigilavit cura atq; industria. Postquam diem suum obierat illustrissimus Princeps & Dominus, JOANN-VVILHELMUS, Dux Juliacensis, Clivensis & Bergensis, postremus ejus nominis & prosapiæ; quod accidit anno sexcentesimo, nono, die 25^o. Mensis Martij; ex eo dimicatio (quemadmodum omnes scimus) exorta fuit gravis & vehemens de Juliacensi Ducatu & ditionibus eò pertinentibus, inter Familias Electorum & Principum Imperij eminentissimas, sanguineq; & affinitate conjunctissimas, Saxoniam, Brandeburgicam, & Palatinam Neubergiam. Jus donationis sibi factæ confirmatæq; à summis Imperatoribus, ob Antecessorum, & imprimis ALBERTI Ducis Saxonie, Animosi cognominati, grandia & illustria merita in Imperium, Illustrissima domus Saxonica, ratum firmumq; esse voluit: Opposuerunt hereditariam successionem, ex jure Feudi (ut vocant) Fœminei, uterq; Princeps generosissimus, Elector Brandeburgicus, & Comes Palatinus Neubergicus: Et in hac disceptatione partium dissidentium, augustissimus Imperator, RUDOLPHUS, seipsum, tanquam illius controversiæ judicem legitimum, autoritate Cæsareâ, maturè interposuit. Quid multa? Statim arma (ut fit) arrepta in hac dissensione: interq; Cæsarianos, & duos Principes, infestis signis, de regionum illarum possessione, certatum est. Occupata quidem initio, nomine Cæsaris, Juliacensium Metropolis: Sed non multò post, finitimorum regum atq; Hollandiæ ordinum accedentibus auxiliariis copiis, obsessa,

D d. 3.

& tor

& tormentis bellicis oppugnata vehementissime, inq; potestatem Principum, quintâ, ex quo obsideri cœperat, hebdomade, redacta est. Noster intereâ Princeps, cùm jus Saxonice domûs, in causâ hac, satis Cæsareæ Majestati & cæteris Imperij Electoribus, id temporis Pragæ, in imperiali aulâ, commorantibus, demonstrâisset; Mense Julio, anni proximè elapsi, sexcentissimi, decimi, Feudum Juliacensis Ducatûs & Ditionum adherentium, cum Titulo usitato ac consuetis insignibus, suo Fratrumque & agnatorum Principum nomine, in arce Regiâ Pragensi, ab Imperatore RUDOLPHO, per solennem investituram, accepit: Post annos CXXVIII. ex quo prima donatio ALBERTO, Duci Saxonie, nostrorum Principum Abavo, ab Imperatore, FRIDERICO III. ob amplissima in Imperium merita, facta est. Quanquam ergo justam ab eo tempore causam habuisset inclytus noster Princeps, induendi similiter arma, cum Cæsare, & jus suum expediendi ferro, quod ratione ac consilio obtineri non posse, tùm videbatur: Satius tamen existimavit, omnia prius experiri, quàm armorum ac belli consilia capere. Metuebat nimirum Elector optimus, & pacis publicæ amantissimus, ne ex hisce dissensionum initiis, ac gliscentibus dissidiorum velut scintillis, incendium existeret horribile, quod dilatarum progressu, totum arriperet Imperium, flammisq; latè grassantibus omnia involveret. Denuò igitur Colonie Agrippinæ anno superiori, tentata res & Compositio inter Principes: sed non eo eventu, qui tùm sollicitè expectabatur: Unde adhuc, cum magno terrore omnium, ad bellum manifestum res ea spectabat: Donec tandem, interventu quorundam Imperij Principum, Jürrobogl, Pacificatio solennis inter illustrissimos duos Imperij Septemviros, Saxonem & Brandenburgium, magnâ cum lætitiâ ac congratula-

tulatione omnium Ordinum, subsecuta est; die vigesimo M. Martij, anni hujus sexcentissimi, undecimi.

De cæteris nostri Principis Consiliis & actionibus, tum in Imperij Romani, tum propriæ gubernationis amplissimæ negotiis, aliquid amplius hoc loco à medici necesse non est; cum nec temporis angustia, quâ Parentalis hæc circumscripta est Oratio, verbosiores me esse sinat; neque ista recentissima, quæ jam antè nota omnibus sunt, omninò huc afferri oportere, plerisq; fortè vestrùm videatur. Potest autem ex iis, quæ commemorata hæcenus sunt, facile à quovis intelligi: qualem nobis fata Principem Electorem, ab hinc decennio dederint: qualem ab hinc sesquimense eripuerint: Cujus vita, si inspiciatur, egregij nobis speculi instar erit, in quo omnis generis virtutes pulcherrimæ effulserunt. PRINCEPS fuit, pietate insigni ac memorabili, qui verbum cœleste, ut thesaurum animæ preciosissimum, magni æstimavit, purumque & incorruptum in his regionibus, omni ratione conservare studuit: qui à blasphemis cunctis, & diris imprecationibus, omniq; aliâ impietate, toto pectore atque animo, abhorruit: qui sanctissimam vitæ regulam:

INITIVM SAPIENTIÆ, TIMOR DOMINI:
in hoc terreno Principatu, tanquam consiliorum & actionum omnium cynosuram, fixam animo, scriptamq; & pictam ante oculos assidue habuit. PRINCEPS fuit, qui justitiam amavit, ornavit, defendit: qui pacem & tranquillitatem publicam, ut dulcem nurriculam humanæ felicitatis, per omnem vitam, unice coluit. Princeps fuit, tantæ liberalitatis & beneficentiæ, ut sæpius ultra, quàm citra modum, se munificum suis ostenderit. Prin-

cens

ceps fuit, qui veritatem & candorem maximè probavit: mendacia, strophas, sycophantias, ex animo detestatus est. Princeps fuit, in quo humanitatis ac mansuetudinis singulare exemplum ac memorabile eluxit: Deniq;, Princeps fuit magnanimus in qualibet fortunâ, prudens, constans in sermone atque opere, fautor eximius actionum omnium honestarum, ac vitiorum & turpitudinis osor acerrimus. Atque, ut in fidei Christianæ confessione, & sacrosanctæ religionis negotio, corruptelam omnem verbi divini toto animo averfabatur: Sic in Politicâ conversatione, seposito religionis divortio, sinceram colebat amicitiam, cum Imperij Principibus quibuscunq;, præsertim, in augustissimo Septemvirali Synedrio, collegiis suis: Quòd in ea re salutem Imperij Romani incolumitatemq; firmam esse, laudatissimorum Majorum exemplo, satis intelligeret. In vitâ privatâ, cum pietatis studio quotidiano, conjungebat ea maximè exercitia, quæ digna viro Principe judicantur: veluti sunt decursiones & certamina equestria: In quibus ita Princeps noster antecelluit, arte pariter & robore virium, ut per paucos sibi æquales, superiorem verò neminem habuerit.

Et quidem frequens in hoc opere fuit: non tam ad voluptatem & delectationem capiendam inanem, ex isto ludorum equestrium genere, quàm corporis sanitatem eo exercitio tuendam ac conservandam. Erat enim eo corporis habitu, dum viveret, serenissus. Elector noster, ut mole suâ id penè iam laboraret, & idcirco motum atque, exercitationem assiduam requireret. Nec dubium est, rem eam, diætæ quoque amplioris causam, haud minimam, extitisse illustrissimæ, eius Celsitudini: Quam tamen ita, rationis aureâ normâ, temperavit Princeps inclytus, ut per eam neque posthabita pietas, neque recitudo mentis ac
 confi-

consilij inflexa aut labefactata, in ullâ parte gubernationis amplissimæ, apparuerit. Viram (en) habetis, Auditores: Jam pauca de Morte.

Sensit optimus Princeps noster, circa IX^{num}. Calendas Julias, qui jam a nœ ominosus, hoc autem anno fatalis ei fuit, nonnullum in corpore langvorem, ac quasi stuporem, in brachio præsertim altero: quo tamen non impeditus, & concionem sacram Ecclesiasticam, die illo decretorio, manè frequentavit, & consveto more postcâ in aula pransus est. A meridie, ut consveverat, equestri decursione se exercere instituit: sed ab hac, virium debilitas, & vis morbi sensim ingruentis, eum mox avocat. Attamen nil metuens atrocioris periculi, ad cœnam vesperi, paratam in oppido, se confert: Mensæ affidet: verùm mox, inter prima fercula, morbi latentis extrema se violentia prodit. Confurgit extemplò Princeps, atque è cœnaculo in auram liberiolem egreditur. Ibi primùm inambulat, circumstantibus aulæ ministris: sed morbi invalescente impetu, gradum mox sistit; suspiciens in coelum, atq; inter pios ardentessq; gemitus & suspiria, manibus sublatis, verba hæc identidem ingeminans: **Ô DOMINE DEUS, MISERERE MEI: DOMINE JESU CHRISTE, PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI, &c.** Inter hæc, & similia verba alia, plena ardentissimæ pietatis, fideiq; in Christum Redemptorem unicum, deficiente jam voce, & toto sensim prolabente corpore, manib9 astantium excepta properè illius Celsitudo, curruq; delata in arcem Electoralem, cum frustra tentata essent omnia remedia, ingravescentibus subinde magis atque magis Symptomatis Apoplecticis, tandem Mundi hujus splendoribus & vanitatibus, exitu ex hac vita perbeato, valedixit: circa horam X^{am}. postmeridianam; anno gubernationis

Ee

tionis

tionis X^{mo}. ætatis verò Climacterico, Hebdomatico quarto: cum omninò vixisset, in hac mortalitate.

AN^{os}. XXVII. M. IX. INT^{gros}. H. XVIII. Anima ipsa beatissima jam triumphat in conspectu DEI, atque æternâ illâ felicitate & lætitiâ ineffabili perfruitur in Terrâ viventium. Nos hîc lugemus, hîc suspiramus, gemimus, e-
julamur: Et meritò: Quia Principem & Patrem Patriæ, quia lumen & columen Germaniæ, Nutritorem Ecclesiæ, Patronum ac Conservatorem Scholarum, secundum DE-
UM, in his oris, supremum amisimus.

Et quid reliquum nobis est, quàm ut in hoc squalore & luctu gravissimo, nos convertamus ad eum, qui supra nos est; per quem Reges regnant, & Principes imperant; votisq; illum oremus supplicibus, ut Spiritu sapientiæ ac fortitudinis illustret, armet, ac corroboret pectus serenissimum Ducis inclyti JOANNIS GEORGII, nunc Principis harum terrarum & Electoris Saxon. laudatissimi: Cujus summa virtus, & digna Principe Christiano pietas, in hac orbitate repentinâ & inopinatâ, tanquam sidus aliquod faustum & salutare, his perturbatis regionibus affulsit: Quo novo exorto jubare, jam iterum, velut è profundo gurgite mœrorum & dolorum, emergit Ecclesia: in spem felicitatis optatæ erigitur Respublica: Scholæ & Academiæ è luctu, è squalore exurgunt: tota denique hæc ora Saxonica, è turbidissimâ quasi tempestate eluctata, serenam lætamq; faciem induit. Age verò, ô misericors & benignissime DEUS, sub cujus præpotenti manu sunt omnia, terrena & cœlestia: hunc conserva nobis Principem, & Patrem Patriæ alterum: confirma hanc columnam inclytæ Domûs Saxonicæ, hoc fulcrum exulantis, & militantis inter hostes sævissimos, Ecclesiæ: ut, salvo eo atq; incolumi, religio apud nos vera colatur, justitiæ thronus stabiliatur, & tranquillitas publica, cum honestissimis
Artium

Artium optimarum & doctrinae studiis, integra inviolataq; in hac Septentrionis ora, quam diutissime conserve-
tur. Abige procul ab hoc Capite ac columine Ducatus Sa-
xonici, & ab hac universa regione, furentis Satanæ rabiem:
reprime hostium insidiantium molitiones sanguinarias, ac
consilia nefaria: vimq; omnem, Ecclesiae tuæ, Reiq; pub-
licæ Christianæ, adversantem, infringe. Serva, protege, &
tuere, cum ipso Principe, Electore novo, illustrissimam
serenissim^{ma}. illius Celsitudinis Conjugem, sobolemq; fœ-
mellam inclytam: atq; omnipotenti virtute tuâ, spem ex-
ple diuturni desiderij nostri, excitando clementer, ex hoc
Electoralis thalamo generosissimo, masculâ atq; heroicâ
indole Principes, patritæ & avitæ laudis hæredes, atq; imi-
tatores strenuos: Erige ac confirma, efficaci consolatione,
in hoc communi luctu & dolore acerbissimo, Viduam u-
tramq; Electoralem moestissimam: Salvum insuper nobis
præsta, vigentemq; ac florentem tuâ benignitate conser-
va, in multam ætatem, illustrissimum & celsissimum Prin-
cipem & Dominum, Dn. AUGUSTUM, Ducem Saxonie in-
clytum &c. Sorores item Principes illustrissimas: Et cum
his, serva incolumem, florentemq; auge & amplifica,
generosissimi sanguinis Saxonici Ducalem Stirpem uni-
versam; ut nunquam desinant ex eâ prodire Heroës excel-
si, pij magnanimi, qui, syncerâ pietate, nominis sanctissi-
mi tui gloriæ in his terris serviant, & Rempublicam jure
& justitiâ moderentur: Deniq; nos omnes rege ac guber-
na, Spiritu cœlestis sapientiæ, animosq; labantes in his vi-
tæ miseriis, fulcro veræ fidei, confirma, erige, ac corrobora,
ut per has ævi salebras, ærumnasq; varias, quibus septi un-
diq; sumus, animosè atq; intrepidè vitæ cursum exigamus;
& in futurâ beatitate, nomen tuum, laudibus sempiternis,
cum universo electorum exercitu, celebremus. *DIXI.*

RECTOR ET SENATUS CONSILII PERPETUI IN ACADEMIA LIPSIENSI.



Memorabilis est & multarum regionum non exiguo cum exitio comprobata sententia Salomonis Prov. 28. dicentis: *Propter delicta terra, citò alij post alios fiunt Principes*, h. e. ob crebra hominum delicta, vel nulli Principes diu, vel multi discordes regnant, aliive alios pellunt. Certissimum enim est, effrenatâ peccandi licentiâ & ingratitude detestanda cum alias poenas attrahi gravissimas, tum verò etiam Rebus publicas mutationes accidere plerunq; parùm salutare, suffragante etiam hac in re Philosopho, 2. Pol. ἔπεμψεν μάλιστα ἡ ἀρετὴ τιμᾶται, ταύτην ἔχουσαν εἶναι βέλτιστον πολιτείαν. Jam verò maximæ partis hominum securitas impia, ceu reliquorum peccatorum mater foecundissima, omnia non solum multiplicibus erratis & lapsibus, sed etiam sceleribus & flagitiis inauditis complet: atq; ne longius abeamus, conquièntes calamitatum causas singulas; quem quæso finem habent, quæ florentissimis & potentissimis regnis inde usq; ab imperiorum initio certissimum attulerunt interitum? Contemnum dico verbi Divini notiorum, effrenem item libidinum licentiam, cum extremo luxu conjunctam: ac, ut cætera taceam, intestinam, eamq; non minùs pertinaciter quàm atrociter hærentem in omnibus ordinibus animorum distractionem. Aut ergo necesse est, expectari eventus similes, aut hæc mala subitò emendari: Quod, quia in hac hominum vel improbitate, vel cæcitate obstinatâ, unum est ex illis, de quibus vix aliquid sperari potest, quid mirum

mirum

mirum, tot severis plagis, puta, hinc annonæ caritate, illic peste, alibi bellis, & rursus alibi incendijs premi & vastari totos populos? Verum, proh dolor, ad ingentia ista, quæ hinc inde perpeffi sumus incommoda, quæq; nunc perperimur, aut certè pertimescimus, hæc accessit nova calamitas, & tanquam *επιφορὰ* quædam in nos violenter irruit, dum præpotens & benignus DEUS, immutabili quidem, sed justo voluntatis suæ arbitrio, his regionibus, morte immaturâ, Mensis Junij die XXIII. ademit Illustrissimum & Generosissimum Principem ac Dominum, Dn. CHRISTIANUM Secundum, Ducem Saxoniz, Juliz, Cliviz & Montium, S. Rom. Imperij Archimarschallum, & creandis Imperatoribus Septemvirum, Landgravium Thuringiz, Marchionem Misniz, Burggravium Magdeburgensem, Comitem Marchæ & Ravenspurgi, Dominum in Ravensstein, &c. Dominum nostrum, dum in vivis esset, Clementissimum: idq; eo tempore, quo, si unquam aliàs, vel maxime Celsitudinis ejus consilio & auctoritate, indigebant res nutantes Imperij Romani, quod crebriorum mutationum procellis, nec dum benè pacatis, hætenus non leviter jactatum fuisse novimus. Unde casu hoc inopinato non modò hoc Electorale territorium Patrem, & post DEUM, protectorem suum unicum, sed etiam augustum Romanum Imperium, fidissimum columen amisisse, nã sanæ mentis non est, qui subdubitare audeat. Nam, ut merita præclara in Ecclesiam & Scholas hoc loco præteream, ipsius Illustrissima Celsitudo in id unicè visa fuit incumbere, ut in istis Imperij motibus, & Imperatori Romano dignitas facta tectaq; maneret, & cum aliæ regiones finitimæ, tum verò imprimis hæc Misnia nostra tranquillitate & pace optatissimâ frui posset; ejus beneficio singulorum res & facultates à vi injustâ defenderentur, & simul hæ

Ec 3

Scho.

Scholasticæ congregationes, operæq; salutare, tam docē-
 tium, quàm discēntium, integræ inviolatæq; conservaren-
 tur. Quo laudatissimo opere id omnino præstare conatus
 est, quod Xenophon alicubi prodidit: *ἅμα πλείσια ἔργα εἶναι,
 νομιέως ἀγαθῶν, καὶ βασιλέως ἀγαθῶν.* Quæ quidem omnia, quò
 majorem commendationem merentur, eò majores & ve-
 hementiores in animis nostris dolores excitare debent.
 Quamvis n. cum ipsius Celsitate benè actum est, quia mul-
 tis malis præsentibus & imminentibus est ereptus, & in æ-
 ternæ vitæ possessionem translatus: quo nomine ipsiq; Cel-
 situdini non immeritò gratulamur: tamen nostro incom-
 modo detrimentoq; doleamus necesse est, quòd tanto bo-
 no nobis amplius frui non liceat. Quamobrem gravissimè
 non sine causa luget Illustrissimus & potentissimus Prin-
 cept & Dominus, Dn. JOHANNES GEORGIUS, novus Ele-
 ctor, cum conjuge Illustrissima, & Fratre generosissimo,
 Dn. AUGUSTO &c. luget utraq; Electoralis Vidua mœstis-
 sima; quòd hæc filium dilectissimum, illa maritum suavis-
 simum desideret: Lugent Agnati & Affines, & penè singu-
 li ordines & status Imperij, qui omnes ingenti dolore se ob
 improvisum hunc casum affectos esse, indicijs haud obscu-
 ris declarant. Decet itaq; & nos nostro loco in hoc com-
 muni omnium ordinum luctu, *ἢ δακρύοις, ἢ ὀικτοῖς, ἀλλὰ
 μνήμη ἀγαθῆ* (ut quidam Græcorum præcipit) h. e. non la-
 crymis aut commiseratione saltem, sed gratâ memoriâ,
 prosequi beneficia per hunc defunctum Electorem nobis
 exhibita. Vult enim DEUS, ut suâ immensâ bonitate pios &
 salutare Principes nobis donari agnoscamus, & debitæ
 subjectionis ac amoris significationem etiam erga defun-
 ctos, vero & non simulato luctu, testificemur. Meritò itaq;
 luctus tantò debet esse gravior, quantò fuit in defuncto pi-
 etas eminentior, & in Imperium fides & constantia perspe-
 ctior

Etior, & erga patriam caritas admirabilior. Atq; hanc ob causam, quia in Electorali aula illustrissimâ, sequens hoc triduum, ducendis atq; cohonestandis solenni pompâ exequiis, est destinatum, etiam apud nos, inter utrumq; hujus loci Magistratum, amicè convenit, ut & in hac Urbe & Academia, ad *diem Martis proximum, qui est sextus M. Augusti*, hoc ultimum subjectissimi honoris officium, pio ac Christiano ritu præstetur, adeoq; hæc quasi pietatis debitæ justa persolvantur, concionibus duabus; quarum una Latina in æde Paulina, altera Germanica in Templo Thomano habebitur. Quo nomine mandamus universis & singulis, Jurisdictioni nostræ subjectis, cujuscunq; sint ordinis, gradus aut conditionis, ut modò significati diei horâ VI. matutinâ, audito pulsu campanarum, primò in Templo D. Nicolai, ubi conventus indictus est, utriusq; ordinis Academici & Politici, frequentes confluant, indeq; nos in ædem Paulinâ comitentur, ubi Musicâ lugubri, & funebri Oratione latinâ pientissimo Dn. Electori parentabitur: quibus in Paulino ritè peractis, decenti ordine & processione, in altero etiam Templo ad D. Thomæ, suam erga defunctum Dn. Electorem pietatem declarabunt; audituri illic eâ, quâ decet, modestiâ atq; attentione, concionem germanicam, quæ ad populum habebitur; ibidemq; simul precibus publicè junctis Deum sollicitè imploraturi, ut, (quia Magnorum Principum obitus rarò sunt ἀσυντοι) & iram justissimam, & gravissimam, quæ nos circūstant, pericula clementer avertat, & simul diu salvos & incolumes præstet, cum, quotquot sunt *de celsissima stirpe Saxonica*, quos adhuc Dei beneficio superstites habemus: tum verò imprimis Illustrissimum & potentissimum Principem ac Dominum, Dn. JOHANNEM GEORGIUM, Ducem Saxon. & Sacri Romani Imperij recens factum Electorem: cujus ineuntem gubernationem ita fortunare velit, ut etiam subsequens temporibus incorrupta Verbi Divini doctrina, unâ cum optimarum artium & disciplinarum studiis, ad piam posteritatem transferri, adeoq; tota hæc ora Saxonica statu felici & tranquillo frui possit: Idq; faciat, tum propter Nominis sui altissimi gloriam, tum ob indefinentem intercessionem unici Propitiatoris & Redemptoris nostri JESU CHRISTI, cum Patre & Spiritu sancto laudandi, seculis infinitis, P. P. 4. Sextil. Anni 1611. CAR-

CARMEN FUNERALE

ad Exequias

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

Dn. CHRISTIANI II.

Ducis Saxoniae, Juliae, Clivae, & Montium, S. R.

Imperij Archimarschalli & Electoris, &c.

*In luctu publico, Lipsiae VI. Aug. propositum**M. CVNRADO BAVARO, Poet. Prof. publ.*CHRISTIANUS moritur, sic disponente JEHOVA,
Cujus in arbitrio vita est, mortisque potestas:

Cujus consistit jussu SOL, machina coeli

Cujus servatur Verbo, & munimina terrae.

Ante diem moritur Princeps, in flore juventae,

Viribus integris, & firmo corpore praestans:

Cujus nec membris infederat arida febris,

Pallida nec ejus tabes infecerat ora.

Quam moritur subito? nec morbum sensit aperte.

Sed velut in dulcem declinans lumina somnum,

Omniem deponit vegeto cum corpore motum:

Sic animam constans expirat leniter Heros,

Quae postquam extincto de corpore libera cessit,

Nunc Divos inter, coelesti sede recepta,

Lætitis fruitur magnis, sine fine beata.

CHRISTIANUS moritur, sic disponente JEHOVA,

Tempore, quo miseris ardescunt omnia bellis,

Quo magis inclinant Romani pondera Regni,

Et malè limoso consistunt aëra fulcro:

Tempore, quo diræ serpunt contagia pestis,

Et quo

Et quo terra fames, & quo penuria victus
Mentes attenuat, miserorum & corpora rodit.

CHRISTIANUS moritur, sic disponente JEHOVA,
Et nos in tanto linquit discrimine rerum,
Dux, pastorq; bonus, mitis pater atque benignus:
Scilicet id nostræ meruerunt crimina culpæ,
Contemptus VERBI, & sanctæ transgressio Legis,
Et fuga virtutis, justæ violatio & æqui,
Auri sacra fames, vanæq; superbia formæ,
Luxuria, & malè sanus amor, simulatio, fraudq;
Hæc sunt, quæ mitem nobis rapuere Dynastam,
Hæc sunt magnorum prænuncia signa malorum.

CHRISTIANUS moritur, sic disponente JEHOVA,
Saxonix Princeps præclarus, gloria Rutæ,
Quæ VERBO, IUSTO, & PHOEBO per tempora longa
Floruit, & retinet constantem huc usq; vigorem,
Et posthac etiam semper retinebit eundem.

Princeps qualis erat? nec enim cum corpore fama
Fornicibus condenda, sed expandenda per orbem.
Nimirum Ille fuit constans imitator Avorum,
Et nulla virtute minor, vel laude secundus.
Nempe fuit verè veræ pietatis abundans,
Quemq; fuit CHRISTUM constanti voce professus,
Nomine quemq; suo est solitus memorare frequenter,
Illum etiam coluit devoto pectore semper,
Nil pietate prius, nil majus & amplius illi
Religione fuit, pura illa Religione,
Quæ nihil humanæ commixtum sordis habebat,
Quam olim Lutherus de sacro Codice prompsit:
Quam per tot casus, per tot discrimina rerum
Majores servaverunt cum laude perenni;

E f

Hanc

Hanc sibi servandam, hancq; suis regionibus Ille
 Servandam statuit, serisq; nepotibus arctè.
 Hæc ut prima fuit, constans & gloria Avorum:
 Sic etiam hæc æterna futura est gloria Natis.

Quis satis exponet, quàm PRAGÆ insignibus ausis
 Sese prodiderit, Lutheri dogmata clarè,
 Contra Rasorum clamores atque furores,
 Exponens plebi, procerum spectante caterva?
 Vox Evangelij hic præconis voce sonabat,
 Aeterna complens multorum pectora luce,
 Hoc Duce curante, & cunctis mirantibus ausum
 Vel Cleri indignatio, vel Vesania Fratrum.
 Annuit huic Cæsar RUDOLPHUS, & annuit ultrò,
 Ut nova Luthero pareretur gloria PRAGÆ,
 Hinc data Bojemis optatæ gratia pacis,
 Liberiorq; fuit fidei concessa potestas.
 O laus ingenuis, nullo delectabilis ævo:
 Sic PRAGA antiquum cultum, quem plurimum amabat,
 Et falsum & vanum nunc derestatur & odit.
 Salve Bojemæ nova laus & gloria terræ,
 Saxonix Princeps: tua laus & fama manebit,
 Donec erit VERBUM, simul & tua facta canentur.
 Reverà Pietas prima est & maxima Virtus,
 Atque boni causa est præsentis, itemq; futuri:
 Utilis Imperio Pietas, & rebus agendis
 Utilis, & Pietas vitæ felicis origo.

CHRISTIANUS moritur, sic disponente JEHOVA,
 In cujus vultu Jus Aequum, & pectore aperto
 Fixam sedem habuit; misera huic Injuria cessit.
 Hinc DEA, quæ justa dispensat pondera lance,

Et sine

Et sine respectu causas & facta recenset,
 Virtuti laudem & ponens pro crimine poenas,
 Hujus in Imperio, & cunctis in partibus ejus
 Floruit, & gladio visa est fulgere minaci.
 Nemo suum raptum regnante hoc Principe dixit,
 Afflictum nemo sine causa se quoq; dixit.

Imprimis illi studium exoptabile Pacis
 Complacuit, dira averfatus pectore bella est.
 Cædibus ut melior vita est, justumq; rapinis:
 Sic est innumeris potior Pax una triumphis.
 Invenias, quorum insatiabilis usque cupido
 Pectora possedit, fines extendere Regni:
 Qui mox invadunt alienas milite terras,
 Pluraq; quò capiant, crudeli sanguine complent.
 Invenias, quorum mentes insania vexat,
 Qui Verbo factove levi solvuntur in iras,
 Suscipiunt grave Martis opus, bella, arma frequentant,
 Et capita & vitas certa in discrimina ducunt,
 Fortunasq; horum, quos conservare decebat.
 At Princeps noster, quamvis occasio justa
 Bellandi obtigerat, quâ horrenda assumeret arma,
 Juliacasq; suis terras adjungeret oris:
 Omnia cunctando prius attamen attentare
 Maluit, atroci quàm sternere funere plebem.
 Unus enim est hostis, sequitur quem cætera turba,
 Qui si vincatur justa ratione, vel arte,
 Victus erit populus sine cæde & sanguine totus.
 Nam servare magis civem est, quàm perdere classem.
 Nec tamen Heroi, si res & Fata tulissent,
 Defuerit virtus bellandi, atq; impetus ardens
 Sic ambæ fortis Majorum exempla tuendi,

Qui bello clari, clariq; in Pace fuerunt.
 Aurea Pax Illi, lætos redimmita capillos,
 Diversum svasit, pietasq; & cura suorum.
 Laus servare suum est; non est, extendere Regnum.

CHRISTIANUS moritur, sic disponente JEHOVA,
 Præsidium Pacis firmum, pietatis asylon,
 Musarum decus, & Fidei certissima norma,
 Justitiæ exemplum, virtutis gloria, splendor
 Romani Imperii, firma & tutela bonorum,
 Spes afflictorum, clarorum imitator Avorum.
 Tàm felix Princeps, tàm commodus, atq; benignus,
 Quandoquidem à nobis nuper discesserit, alto
 Concilio Superùm, cœlestiq; additus Aula:
 Ingemimus meritò, & suspiria ducimus omnes,
 Atq; piis lacrymis meritò ploramus ademptum,
 Tristitiæ ingentis præ nobis signa ferentes,
 Et pullam, & lacrymas, fœda & singultibus ora,
 Vocibus & crebris miserabile dicimus Eheu:
 Eheu Præsidium, Spes, Author, Dux, Pater, Eheu.
 Vox labat, & gemitu vis omnis pectoris arret,
 Rivi destituunt oculos, vox deficit ipsa.
 Dive Pater Salve, Regnis sociate beatis:
 Dive Pater, fructu immortalis Pace, Valeq;
 IOHAN. GEORG exoritur, felix Successor & Auctor
 Imperii, cuius nutu sese erigit, atque
 Tollit humo vultum, & patulas consurgit in auras:
 IOHAN GEORG vivacis Rutæ lætabile germen,
 Cujus flore novo tellus, cum Gente, decorem
 Induit, & claro Regnantis gaudet honore.
 Salve Successor felici fidere, Salve,
 Atque tuos populos æquâ ratione governa,

Non

Non virtute tua filius, sed Lege Potentis,
 A quo Regna labant, à quo stant Numine Regna.
 Quò magis at possis: Nos flexo poplite Patris
 Aeterni Numen venerandum in vota vocamus:

Sancte Pater, cuius non est finita potestas,
 Omnia qui firmas, qui destruis omnia nutu;
 Induperatorem RUDOLPHUM protege nostrum,
 Romani aeternum qui laus & gloria Regni est:
 Illius Imperium stabili virtute potenti,
 Hostes subjiciens pedibus, fraudesq; dolosas,
 Conculca vires Turcæ, contunde Papæ ausus,
 Atque astus Rasæ juratos perde cohortis,
 Ut Majestatis maneant interrita Signa:
 Saxonæ Regnum confirma, auge, atque tuere,
 Infidias contra, & contra defende furores:
 Tu FLOREM RUTÆ longinqua in tempora serva,
 Ut ne deficiat, populo qui præsit inertis,
 Qui semper justis moderetur Legibus orbem.

Conserva Pacem, sis nos & mœnia circum,
 Angelicis oras conclude & mœnia turmis,
 Et prohibe sævas Furias, Furiasq; minaces:
 Et qui bellorum cades & vulnera spirant.
 Naribus orbiculo injecto frena atque coherce.
 Terra tua est, populus tuus est, focus hîc tuus hîc est:
 Ne patiare tuam foedari sanguine terram,
 Ne patiare tuum populum miserabile cædi,
 Ne patiare tuam vastari turpiter Aedem;
 Ne inclament hostes, tibi ne convicia dicant:
 Non Deus est, populus coluit quem sedulus iste,
 Non Deus est, populum qui non defendit amatum,

E f 3

Sancte

Sancte Pater, VERBUM cœlesti Numine serva,
 VERBUM, quo solo stamus, quo vivimus uno,
 VERBUM, labe carens omni, glossaq; maligna,
 VERBUM, quod nobis patefactum est æthere summo,
 VERBUM, Luthero clarè duce & auspice fulgens.
 Non opus humanæ est sanctum defendere VERBUM,
 Non est, præsidium non est in grandibus armis,
 Arma labant: Tu nempe tuum defendis honorem,
 CHRISTE Deus, cum Patre potens æqualiter unus:
 In TE spes omnis posita est, & vita, salusq;
 Fac tibi serverur deinceps Ecclesia semper,
 Laudibus officiosa tuis, sine fine canendis.
 Et quando premitur variis Ecclesia damnis,
 (Nempe Cruces illi sat novimus esse paratas)
 Tu Deus afflictis sis præstò, & suffice vires,
 Ne succumbamus, sed sancto in Numine fisci
 Vincamus tandem, constanti pectore læti.
 Auge Sancte Pater virtutem, spemq; fidemque,
 Tranquillam & placidam da nobis vivere vitam:
 Pectora da careant vitiis & fraude doloque,
 Nominis unde tui inter nos magis undiq; crescens,
 Ad seros veniat laus, gloria, fama, nepotes,
 Cum quibus æternâ conjuncti luce canemus:
 Sanctus, Sanctus, & ô Sanctus, Deus unus in ævum:
 Pleni nempe tuâ sunt cœli & Tartara laude,
 Spiritus Excelso cunctus Tibi serviat Uni.



Rerum

Rerum memorabilium

CIRCA VITAM ET
GUBERNATIONEM SERE-
niss.^{mi} & celsiss.^{mi} Principis

CHRISTIANI II.

Saxoniae Ducis & Electoris, &c.

INDEX CHRONOLOGICUS

Operâ subcisivâ

JOHAN. FRIDERICHI

Professoris publ.



ANNO M. DC. XI.



Index Chronologicus.

Anno Chri-
sti 183.



Nascitur CHRISTIANUS II. Saxoniae Dux &c. in Urbe Dresdâ: Patre CHRISTIANO I. Saxoniae Duce & Electore magnanimo: Matre SOPHIA, Heroinâ inclytâ, Serenissimi Principis, JOHANNIS GEORGII, Marchionis Brandenburgensis, Septemviri & Electoris, Filiâ: I X. Calendas Octobris, Horâ IV. matutinâ.

Illius *Avádoxoi* seu sponsores, in baptismo, præter cæteros, fuere AUGUSTUS Elector avus, & hujus serenissima, conjunx, ANNA, nati Principis avia.

85.

Hoc anno IOHANNES GEORGIVS, Saxonie Dux &c. Christiani I. Electoris, Secundus Filius, in arce Dresdensi nascitur: III. Nonas Martij, Horâ X. post Meridiem: cujus per baptismum initiationi assuerunt uterque Elector Avus, & Avia.

ANNA, Electoris Saxon. Augusti conjunx, CHRISTIANI III. Danie ac Norvegiae Regis, filia, nostri Electoris avia, cum vixisset in conjugio suaviss. mo cum marito, Electore inclyto, annos XXXVII. integros, Dresdae moritur; Calendis Octobris

86.

ANNA SABINA, Christiani I. Electoris, Filia Prima, in

in lucem editur VIII. Calendas Februarij : quæ iterum, post duos Menses, diem suum obit : VIII. scil. Calendas Aprilis.

Eodem anno decedit AVGVSTVS, Saxonie Dux & Elector inclytus, avus nostri Electoris : anno ætatis LX. cum feliciter rebus præfuisset annos XXXIII. integros : III. Idus Febr.

Succedit, in Electorali gubernatione; & ditionibus amplissimis, CHRISTIANVS I. Filius, heres unicus.

SOPHIA, Christiani I. Electoris Filia altera, nascitur III. Calendas Maij.

87.

In lucem editur ELISABETHA, filia hujus Electoris Tertia: XIII. Calendas Augusti: quæ mox anno sequenti, iterum extinguitur, IV. Nonas Martij.

88.

AVGVSTVS, Electoris Christiani I. Tertius Filius, nascitur Dresda, VII. Idus Septembris, vesperi post horam VI.

89.

Prodit in auram vitalem DOROTHEA, Electoris Christiani I. Quarta filia, VII. Idus Januarij.

91.

CHRISTIANVS I. Saxonie Dux & Elector, morte præmaturâ extinguitur : anno ætatis XXXI. Gubernationis VI. VII. Calendas Octobris : Relictis post se III. Filiis Principibus impuberibus : CHRISTIANO. Pueri id temporis octenni : IO ANNE GEORGIO sexenni : & AVGVSTO, tum quasi bimulo.

Gg

Tute-

Tutelam Principum impuberum, omnemq. adeo Electoratus Saxonici Administrationem, delatam paulò ante obitum ab ipso Electore CHRISTIANO I. suscipit FRIDERICVS GVLIELMVS, Saxonie Dux &c. Agnatus; cum Marchione Brandenburgico, IOANNE GEORGIO, Imperij Septemviro & Electore, Socero.

92. CHRISTIANVS II. Saxonie Dux, loco Patris, electus & postulatus Administrator Episcopatus Misnensis, usitato Homagij juramento, subditos illius in fidem & clientelam recipit, XIV. Calend. Martij sub : tutelà FRIDERICI GVLIELMI Proelectoris; anno etatis IX.

97. JOHANNES GEORGIVS, Marchio Brandenburgic. & Elector, Impuberum Principum avus maternus & Con-
tutor, excedit è vita, VI. Id. Januarij; anno etatis LXXIII. Ex quo gubernatio universa Electoratus Saxonici penes solum FRIDERICVM GVLIELMVM Administratorem mansit, usque ad puberem etatem CHRISTIANI II.



1601.

CHRISTIANUS SECUNDUS, Electurae Saxonicæ Hæres, completo feliciter anno etatis XVIII. juxta tenorem AUREAE BULLAE, gubernationem Electoralem, magno cum applausu ac congratulatione Ordinum omnium, suscipit, ipso Natali die; Nempe IX. Calend. Octobris. Quo tempore Legati
gati

gari Cælaris, item Matthiæ Archiducis Austria, tum ipse Maximilianus Archidux, aliorumq; Imperii Electorum & Principum Consilarii, ad gratulandum Electori novo, Dresdam veniunt.

Initio gubernationis, Imperatorem Rom. RVDOLPHVM II. grandioribus aliquot fulminaribus machinis & Tormentis bellicis, ad Turcam oppugnandum in Hungaria, donat CHRISTIANVS Elector; cum inscriptione, plenâ subiectissimæ significationis fidei & observantia, erga Cæs. Majestatem: Quam eandem postea etiam declarare consilio atque operâ, constanter, omni vite tempore, studuit: Memor Symboli verè Heroici ac Christiani, quo plurimum delectatus fertur ab ineunte etate:

Time Deum: Honora Cæsarem.

Supplicium de Nicolao Crellio, I. V. D. quondam Cancellario, publicè sumitur, Dresda; VII. Idus Octobris.

Homagium accipit Elector novus à subditis, Mens. Octobri & Novembri: missis ad plerasq; civitates & Praefecturas, cum plenâ potestate, viris dignitate atq; autoritate, in hoc Ducatu Saxonico, primariis.

Comitia Provincialia celebrat Torgæ, Mens. Decembri: in quibus suam, de Fidei confessione sincerâ atque orthodoxâ in his regionibus conservandâ, sententiam, ante omnia aperit: Ordinibus singulis sua jura, immunitates atque Privilegia confirmat; deq; rebus cæteris, ad incolumitatem,

*incrementum & decus Politiae pertinentibus, necessariam de-
liberationem instituit.*

*Durantibus comitiis, Dresda incendium, prope armamentari-
um, ministrorum quorundam incuria, nocte intempesta ex-
citatur: Sed iterum mox sedatur, studio & labore civium;
Et damnus ingens atque horribile, quod facile hinc potuis-
set exoriri, a tota civitate, & divino auxilio, avertitur; die
XVI. Decembris.*

*Mittit eodem tempore Princeps Elector, primarios aliquot The-
ologos, ex Academia VVitebergensi, ad Colloquium, quod in-
ter Evangelicos quosdam & Pontificios Doctores, de MA-
XIMILIANI, Bavariae Ducis, & PHIL. LVDOVI-
CI, comitis Palatini Neoburgici, voluntate & sententia, Ra-
tisbonae institutum erat.*

*DAVID PEIFERVS D. vir excellenti sapientia, rerum
usu atque autoritate eminentissimus, Iureconsultus, Orator
& Poeta eximius, TRIVM ELECTORVM Saxoniae, ipsi-
usq; etiam Administratoris, FRIDERICI VVILHEL-
MI, in Proelectorali gubernatione, Cancellarius meritissimus
Dresda diem suum obit; postridie Nonas Februarij.*

*Visitatio specialis duarum Academiarum, Lipsensis & VVite-
bergensis, & trium Scholarum illustrium, ad Albim, Salam
& Muldam, M. Majo suscipitur: Doctrina & Discipli-
na rite constituitur: Et ad consveta stipendia Professorum,
ex laudatiss. mi Principis munificentia, pecuniarum accessio
praclara designatur.*

Peri-

Periclitatur Princeps optimus, navi invehens in Albi fluvio, cum illustriss.^{mo} Duce, JOANNI GEORGIO; per incuriam incenso pulvere tormentario; die XXIII. M. Junij, Pridiano S. Ioannis Baptista: Quod dies tum ominosus, at demum fatalis & decretorius, ejus Celsitudini fuit.

Feudum Electoralis Ducatus Saxonici, à Casareâ Majestate, per Legatos, ei confertur; M. Julio.

Morituro tempore, Vinariæ, Dux inclytus, FRIDERICVS GVLIELMVS, quondam Electoratus Saxonici Administrator; ipsis videl. Nonis Julij; anno ætatis XLI. cum nondum annus abiisset, ex quo decennalem illam Administrationem, quâ, summâ cum laude, viribus integris, accommodâ valetudine perfunctus erat, secundum Imperij Legem, deposuerat.

Tutelam relictorum Liberorum Principum Impuberum, legitimè ad se delatam, CHRISTIANVS II. Elector suscipit.

Hoc quoque anno Dresde nuptias celebrat CHRISTIANVS I. Elector, cum sponsa generosissimâ, HEDVIGE, Friderici I. Daniæ ac Norvegiæ Regis Filiâ, Christiani IV. Sorore: apparatu rerum omnium magnificentissimo & splendidissimo; Pridiè Idus Septembris.

Eodem anno, Princeps inclytus, senatum Ecclesiasticum penes quem Scholarum & Ecclesiarum, in hoc Ducatu Saxonico, suprema inspectio esset, in Electorali aula Dresdensi, aperit.

Academia VVittebergensis, primum à fundatione secularem. annum, adeoq̄, Natalem centesimum, Magnificentiss. mo V. universitatis Rectore, AVGVSTO, Saxonie Duce, festiuitate solenni celebrat; die XVIII. Mens. Octobris, qui Luca Evangelista sacer est.

603.

Religionis Evangelicæ Confessores, passim è Carinthiâ, Stiriâ, Croatiâ, Moraviâ, Austriâ ejectos, hoc tempore, non solum benignè liberaliterq̄, Princeps Elector in has suas Ditiones suscipit: sed etiam à consuetis pensionibus & Tributis, immunitatem illis, ad aliquod tempus, singulari gratiâ tribuit: Publicis edictis eâ de propositis, pridie Nonas February.

Legatos, ad Comitata Imperialia, Ratisbonam mittit, Mens. Aprili. Auxilia tum nova, ad Turcicum bellum, ab Ordinibus Imperij decreta: Peculiaris item contributio pecuniarum, ad reprimendas Hispanorum incursiones, quibus finitima quedam Imperij Provincia miserè tum affligebantur.

Eodem Mense, die VI. Iduam, dum vesperi è venatione redit; prope Grevenhenicham, tormentariâ glande, ex insidiis, sed irrito latrunculi scelerosi cujusdam & nefarij conatu, petitur. Is postea comprehensus & vinculis constrictus, Dresda questionibus subicitur. Idem fit de alio quoque Sicario, qui Mens. Septembri capitur.

JOHANNES GEORGIVS, Saxonie Dux, &c. Postulatus Administrator Presulatus Mersburgensis, subditos illius Diœcesis, juramento fidelitatis adstrictos, in fidem ac clientelam suscipit; VII. Id. Maji.

ACHO-

ACHOMATES, Sultanus Turcicus, puer IX. annorum, Patri Mahometo III. defuncto succedit in Imperio, Mens. Ianuario. Hic bellum in Hungariâ, motum sub Amurathe III. avo (anno CHRISTI XCII.) ac continuatum hætenus à Patre Mahometo, tanquam hereditarium, cum Imperio, suscipit: sed non tam aperto Marte, quam dolis & fraudibus, per Duces suos, rem gerit. Pacis tractationem astute simulat: Interim, cunctis occasionibus opprimendi Christianos, invigilat: Offert Transylvanis rebellibus auxilia, & ipsum Steph. Putschkaium Istvanum, rebellionis Principem, modis omnibus incitat, atq; armat contra Casarem; adeoq; motibus intestinis periculosissimis totam Hungariam & finitimas Imperij provincias implicat. Ea res, præter ceteros, Electori nostro, CHRISTIANO II. causam præbet, his sequentibus aliquot annis, cogitandi sollicitè, cum Casare à Majestate, de peste hac arcendâ ab Imperio: Nec sine successu, eventuq; rerum optabili; quemadmodum Pacificatio, quæ mox subsequuta est, docuit.

CHRISTIANVS, Saxonie Elector. & **JOACHIMVS FRIDERICVS**, EL. Brandenburgicus, Iutrebogi conveniunt, de maximi momenti rebus consultaturi; Pridie Non. Martij.

ANNÆBERGA, urbs Metallica in Sudetis (in quâ ædes promiscuè numerabantur, ad duo millia) spacio XII. horarum, incendio tota absumitur; V. Calend. Maij.

Nuptias Dresdæ celebrat Illustriss.^{mus} Saxonie Dux, **JOAN GEORGIVS**, cum inclyta Sponsa Principe, **SIBYLLA ELISABETHA**, Friderici, Ducis VVurtembergici Filia; XVI. Calend. Octobris.

Stella nova, ex earum numero, quæ Crinita appellantur, visa M. Octobri, non procul à Sagittario: conspecta item in his oris se-

mel

mel atque iterum inusitata quædam ac portentosa chasmatâ, eodem Mense.

605.

De Sicariis duobus, sceleris nefarij Principem convictis, confessisque supplicium publicè sumitur, Dresdæ; IV. Calend. Februarij.

Eodem anno, jussu Electoris CHRISTIANI II. Lipsiæ suscipitur Transactio, inter Academiam & Senatum Urbis, in causa Privilegiorum Academia; & post disceptationes varias, optato tandem exitu finitur (Operam in ea re, præter ceteros, scientiâ atque autoritate excellentiss.^{mo} Domino, CASPARO à SCHONBERG, Primo- re Consiliario) publicaturq; consensu Partium, Nonis ejusdem Mens. Februarij.

Conventus alter Provincialis, gravibus de causis, indicitur & celebratur Torgæ; Mens. Julio.

Factio Stephan. Putschkaj Istvani miris modis hoc anno grassatur in Hungariâ, finesq; etiam Moravia & Austria, ferro & igni vastat, omniq; vi aliâ hostili populatur. Hinc cura gravis injecta Cesari, nostroq; Electori & ceteris Imperij Statibus, de sedandis quàm primùm motibus illis exitialibus, qui cladem magnam (ut erat temporum illorum conditio) minitari universa Germaniâ videbantur.

Eodem anno, morte inopinâtâ, Vinaria decedit IOHANNES, Saxonie Dux &c. pridie Calend. Novembris: Ex quo Tutela altera relictorum Principum, Saxonie Ducum Impuberum, similiter ad CHRISTIANVM II. Electorem, Agnatum, devolvitur.

Dresdæ

Diesda suum diem obit prima Coniunx illustrissimi Ducis Sax.
IO. GEORGII; SIBYLLA ELISABETHA, Fride-
rici, Ducis Wurttemberg. & Teccensis Filia; in ipsis penè pri-
mordiis conjugij suavisissimi; die XX. M. Januarij.

606.

CHRISTIANVS Elector, Menses aestivos transigit in Comi-
tatu Hennebergico: Quo loco, inter alia, cum Electore Mo-
guntino, IOHANNES SVVIGARDO, fraternam amici-
tiam, antè initam, confirmat.

Hoc eodem anno, Pax in Hungariâ constituitur ac confirmatur,
inter Casar. Majestatem & Stephanum Potschkaium de Ki-
smaria; M. Septembri.

Idem tentatur in Christianos & Turcas.

STEPH. POTSCHKAIVS, repentino morbo correptus, re-
lictò perfidia in Casarem, ejusq; pœna exemplo memorabili,
perit; M. Decembri.

Hoc tempore, sublato Senatu Ecclesiastico, CONSISTORIUM
Electoralè supremum, Dresda constituitur; M. Februario.

607.

Eodem anno CHRISTIANVS II. Elector Sax. cum Duce
illustriss. mo JOANNE GEORGIO Fratre, Pragam, ob
res gravissimas, ad Cas. Majestatem profectus, honorificentis-
sime ab eadem in arce Regiâ excipitur; Pridie Non. Julij.

Commorante ibidem Electore, dua Conciones Evangelica; DE
GRATVITA HOMINIS PECCATORIS JUSTIFICATIO-
NE, CORAM DEO; à D. Polycarpo Lysero, Ecclesiaste aula
Electoralis Saxonica, una in arce Pragensi, altera in adibus
Rosenbergiorum, distinctis diebus, publicè, in maximâ populi
frequentia, habita. Fuerunt hac quasi prima auspicia Liber-
tatis.

H h

tatis.

tatis, in exercitio Religionis Evangelica, ab aulâ Saxonicâ: Id temporibus ludibrio quidem habita à Patribus Sectæ Iesuiticæ; verum paulò post eventu memorabili comprobata ac completa, per RVDOLPHVM CÆSAREM; ut sequenti um annorum historia docebit.

IOANNES GEORGIVS, Saxonie Dux, secundas Nuptias Torgæ ad Albim celebrat, cum generosissimâ Principe, MAGDALENA SIBYLLA, illustriss. mi Principis ALBERTI FRIDERICI, Marchionis Brandenburg. & Borussia Ducis, Filiâ; XIV. Calend. Augusti.

608.

COMITIA Imperij, quæ Ratisbonam, M. Novembri superioris anni, indixerat Caesar RVDOLPHVS, hoc anno initium habuere, Mens. Ianuario: Preside, loco Cas. Majestatis, FERDINANDO, Archiduce Austriae: sed post disceptationes varias, de Publicâ Pace Religionis, cujus confirmationem ante omnia Protestantes Imperij Status urgebant, rebus plane infectis, iterum dissoluta & dissipata fuisse; M. Majo.

Inde reversis Legatis Electoralibus, viris genere, dignitate atq; autoritate primariis; alij mox FVL DAM mittuntur; ubi Electorum Legati, de communibus rebus Imperij amicè consultaturi, tunc conveniebant; Mens. Iulia.

Eodem tempore, intestini quidam motus, subiti & periculosi, magnam finitimis regionibus trepidationem & terrorem injiciunt. MATTHIAS Archidux Austriae, qui paulò ante Posonij, cum Ordinibus Hungariae & utriusq; Archiducatus Austriae; pro tuendâ Viennensi Pacificatione, fœdus icerat (Calendis Febr.) Subitâ versus Bohemiam susceptâ expeditione, cum exercitu XX. Mill. Equitum peditumq;, Znamum usq; (quod

(quod Moravia oppidum est) progreditur; circa finem M. Aprilis: Inde movens, paulò post, in ipsa Bohemia, penè, ad Urbem Regiam, castra ponit. RVDOLPHVS Caesar reprimùm cognitâ, quanquam ad bellum consilia minimè fleçit; suos tamen, in omnem eventum, cum armis paratos esse jubet, clientesq; regni Bohemia Fiduciarios, socios & confœderatos, de auxiliis in promptu habendis, maturè interpellat. In his motibus improvisis, Elector noster CHRISTIANVS II. ante omnia subditos, per cunctas suarum Ditionum Vrbes, celeriter armis instrui, atq; in procinctu esse jubet, ad excipiendam quamcunq; vim hostilem, si ita res ferret: Inprimis verò Dresdensi urbi presidium Mille virum, citra moram, imponit: Atq; inter hac, re deliberatâ cum Electore Brandenburgico, tum literis scriptis ad Archiducem, tum missis in castra (M. Majo) Legatis, amicè serioq; eum à vi non necessariâ dehortatur, interq; Casareâ, Majestatem & Archiducem Fratrem, constituere & firmare pacem, omni ope atq; operâ nititur. Hinc Pacificatio demùm subsecuta, post deliberationes & disceptationes varias: Hungaria & Austria à Cas. Majestate Matthie Archiduci plenariè cessa: Regni Hung. Corona, in aperto campo, inter instructas Equitum Peditumq; cohortes, tradita: Et tributus ei Titulus DESIGNATI IN BOHEMIÆ REGEM, assensu Ordinum; die XXVII. M. Junij.

Eodem anno, Pax quoq; confirmata tandem, inter Casarem RVDOLPHVM, & ACHOMATEM Sultanum Turcicum, ad annos XX. M. Majo.

IOACHIMVS FRIDERICVS, Marchio & Elector Brandenburgicus moritur, XV. Calend. Augusti.

AVGVSTVS, Saxonia Dux &c. Postulatus, Administrator, Episc

Episcopatus Cizensis & Numburgensis, eodem tempore, recipit Homagium à subditis utriusq; Diœcesis; videl. XIV. Calendas Sextiles.

MATTHIAS, Archidux Austriae, Posonij in Hungariâ publicè declaratur REX; die XIV. Novembris; Et ritu solenni ibidem coronatur, die XIX. ejusdem Mensis.

609.

Hoc anno, Celsissimi PR. IO AN. CASIMIRVS & IO AN. ERNESTVS, Saxonie Duces; CHRISTIANVS item Marchio Brandenburgicus, & quidam alij Magnates, ad maximi momenti deliberationes, Dresdam veniunt; M. Februario.

Eodem penè tempore Princeps inclytus, IO AN. GVLIELMVS, Dux Iuliacensis, Clivensis & Bergensis, nullo post se relicto herede, subitanè à morte extinguitur; videl. VIII. Calend. Aprilis: Unde gravis & periculosa dimicatio exorta, de Successione, inter illustrissimam Domum Saxonican, Brandenburgicam & Palatinam Nebergiam.

Hoc quoq; anno Caesar RV DOLPHVS, ad seriam intercessionem Electoris Saxonie, CHRISTIANI II. Religionis exercitium liberum Evangelicis Statibus, per regnum univversum Bohemia, permittit: jusq; & potestatem aperiendi Consistorij Evangelici, & instauranda veteris Academie Pragensis, plenariè iisdem attribuit: Traditis super eâ re literis, quas vocant, Majestatis; & publicè de libertate hac affixo Progrãmate Casareo, ad arcem Pragensem; die XIII. M. Julij.

Simile Privilegium, de Religionis Exercitio libero, Caesar imperavit Ordinibus Silesia; die XXVI. Augusti.

Circa

Circa id tempus, Archidux LEOPOLDVS, Argentinensis & Passaviensis Episcopus, designatus à Cesareà Majestate, Supremus in controversiâ Iuliacensi Commissarius, ignoto habitu, Iuliacum Metropolin ingreditur; edictisq; inde emissis severissimis, ad fidem interea Cesari præstandam, donec certum quid de successione, in eo Ducatu, statuatur, universè milites, belli Duces, & quoscunq; Ditionum illarum Officiarios, hortatur. Inter hæc, nihilominus duo Principes Imperij, Marchio Brandenburgicus & Comes Palatinus Neubergensis, passim accepto à subditis fidelitatis juramento, possessionem apprehendunt: Milites simul utriq; conscribunt: auxilia hinc inde flagitant: presidis se undiq; muniunt: Deniq; ad bellum manifestum, idq; grave & exitiosum, omnia spectant.

CHRISTIANVS Elector, tertium Comitum Provincialia Torgæ habet; M. Septembri.

Idem, in causâ controversâ de Iuliacensi Ducatu, Legatos mittit ad Regem Galliarum, Magnæ Britannie, Archiducem ALBERTVM, & Ordines Vnicarum Provincialium in Belgio; M. Novembri.

SOPHIA ELEONORA, filia Primogenita, 10 ANNI GEORGIO, Saxoniae Duci, nascitur, die XXIII. Mens. Novembris.

ANNVS SECVLARIS Secundus (auspiciis & munificentia serenissimi Electoris Sax. CHRISTIANI II.) celebratus solenniter ab ACADEMIA LIPSICA: Ecclesiastica conciones habitæ ad Populum in utroq; Parochiali templo; Duæ item Orationes Latine, in æde Paulinâ, maximâ utrobiq; frequentia: Publica lætitiæ signa, semel atq; iterum,

Hb 3

per

per campanas, in cunctis Aedibus sacris, perq̄q; tormenta bellica, ex Electorali arce Pleissenburgo, in honorem Academiae, non sine magnâ totius Urbis congratulatione, edita: Seculare epulum, Electoralibus & cæteris Legatis, Senatuiq; Urbano, & Hospitibus reliquis lectissimis, splendide & opipare exhibitum: Ac consummata universa festivitas, inter vota solennia, tum pro illustriss. Domûs Electoralis Saxonica, tum Academia & Urbis Lipsensis salute & incolumitate: Feriâ II. post primam Dominicam Adventûs Domini, qua hoc anno in diem IV. M. Decembris incidit.

1610.

Sub initium hujus anni, gliscentibus illis de Iuliacensi Principatu disidiis & motibus, complures Imperij Principes, Comites, & Barones, ex parte Protestantium, Halæ Suevoorum, de rebus arduis deliberaturi, conveniunt: Quibus Civitatum XV. Imperialium Delegati, nec non Galliarum Regis, HEINRICI IV. Legatus, cum splendido comitatu, sese adjungunt. Contra, ex parte Catholicorum Romanensium, ab Ecclesiasticis & Politicis quàm plurimis, Principibus & aliis, conventus Herbipoli celebratur. Post hæc, statim conscripti hinc inde exercitus, per Germaniam, & finitima regna atq; Provincias; partim pro Brandenburgico & Neoburgico Principibus; partim pro Leopoldo Archiduce; delectusq; varij, diversis locis, habiti sunt.

D. POLYCARPVS LYSERVS, Theologus celeberr. Electoralis aula Sax. Ecclesiastes, diem suum obit; VIII. Calend. Martij.

Conventus Electorum & Principum Imperij, Praga indictus, ad deliberationem arduam, de reconcilianda Casarea Majestate,

cum

cum *MATTHIA*, Rege Hungarico; & comprimendis sedandisq; motibus illis periculosis, circa successionem in Iuliacensi Ducatu & Ditionibus adherentibus, M. Aprili.

Electo Saxonia, *CHRISTIANVS II.* die XXVII. hujus Mensis, cum insigni Equitum comitatu, Urbem Pragam ingreditur: Fidemq; suam & animi excelsitatem, in gravissimis & difficilimis sequentium aliquot mensium consultationibus, *RVDOLPHO* Cesari declarat.

HEINRICVS BVRBONIVS, IV. ejus nominis Gallia & Navarra Rex, cum expeditionem, ingenti collecto exercitu, moliri extra regnum decrevisset, jamq; Reginam Conjugem, absente se, regni Gubernatricem publicè declarasset, in ipsa Urbe Regia, dum arcus Triumphales, & alia ad solennem Regine inaugurationem preparata, perlustrat, curru in vectus via publicà, subito manu sicarij confoditur, intra Horam IV. & V. Vespert. IV. Non. Maij.

DOROTHEA, Christiani I. Electoris Filia, Christiani II. Soror, *ABBATISSA* Quedlinburgi inauguratur, die XIX. Junij.

CHRISTIANUS II. Elector Sax. Feudum Iuliacensis Ducatus & Ditionum adherentium, cum Titulo usitato ac consuetis Insignibus, suo Fratrumque & Agnatorum Principum nomine, in arce regia Pragensi, ab Imperatore *RVDOLPHO II.* per solennem investituram, accipit; V. Cal. Julij. Post annos CXXVIII. à primà donatione *FRIDERICI III.* Rom. Imperatoris.

IULIACVM, Ducatus Iuliacensis Metropolis, cum paucis antè hebdomadis ex ea discessisset *LEOPOLDVS* Archidux, conjungentibus se cum exercitu Principum, Gallicanis & Ordinum

num

num Hollandiæ auxiliaribus copiis, Duce MAVRITIO, Comite Nassovio, obsidione cingitur, sub finem M. Julij: Et post vehementissimam oppugnationem mensuram, deditio-
ne capitur. die XXIII. M. Augusti.

Eodem penè tempore Elector Sax. CHRISTIAN. II. cum illustri-
ssimo Duce, JO. GEORGIO Fratre, qui paulò antè Pragam venerat, splendidissimè dimissus à Cesare, in Misni-
am ex Bohemià revertitur.

SOPHIA, Saxonie Ducissa, inclyti Electoris soror, illustris-
simo PR. FRANCISCO, Stetini ac Pomeraniæ Duci, in matrimo-
nium collocatur. Nuptie magnificentissimè celebrantur
Dresdæ; die XXVI. M. Augusti.

MARIÆBERGA, in Sudetis, incendio horribili tota in ci-
neres abit, duabus horis; Pridie Calend. Septembris.

Idem fit de vicinio oppido WOLCKENSTEIN; Idibus Se-
ptembris.

FRIDERICVS IV. Palatinus Rehni & Imperij Septemvir,
è vitâ excedit, die IX. M. Septembris.

Eodem Mense, Moguntinus Elector, visitaturus Principem no-
strum Electorem, Urbem Dresdam ingreditur.

Eo tempore conventus quoq; Principum Colonia indictus, à Caf.
Majestate, ad componendam Iuliacensem controversiam: sed
in ea refrustrâ consumpta omnis opera; à Nonis Septembr. usq;
ad Id. Octobris, circiter.

MARIA ELISABETHA, illustris. mi Ducis, JOAN-
NIS GEORGII Filia altera, in lucem edita; die XXII.
Novembris.

Rebus

Rebus ita, ut dictum est, pendentibus in Imperio, novi quidam motus, ijs graves & formidulosi, exorti in vicino regno Bohemia. Passaviensis exercitus, pro LEOPOLDO Archiduce conscriptus, in controversiâ Iuliacensi, impressione subitâ ac cruentâ, Urbem Minorem Pragensem, Duce PHILIPPO RAMMEO Belgâ, occupat; pridie Non. Februarij: Contrâ, Ordines regni, Veterem Urbem firmo presidio muniunt, vimq; hostilem acriter repellunt; deniq; Passavienses è Minori Pragâ excedere cogunt. Præterea in his turbis, cum omnia ipsis suspecta essent, MATTHIAM Hungaria Regem, in auxilium advocant: Eundemq; declaratum Bohemia Regem, vivente adhuc, & publicæ tranquillitatis causa assensum præbente AUGUSTO REGE RUDOLPHO, solenni coronatione inaugurant; III. Id. Maij.

Inter has Bohemorum turbas, singulari DEI beneficio, Pax apud nos optatissima, ingenti lætitiâ omnium Ordinum, Lutrebogi, constituitur & firmatur, inter illustrissimam Domum Saxonicam & Brandenburgicam, in controversiâ gravissimâ & difficilimâ, de Iuliacensi Ducatu; XIII. Calend. Aprilis.

Post hæc, conventus Electorum Imperij, Mulhusa indicitur, ad VII. Id. Iulij.

Ad hunc profecturus Princeps noster inclytus, ut suam Imperio operam, fidemq; Imperatori probaret, cum penè jam in procinctu esset, morte repentinâ, sed placidissimâ consopitus, ad sempiternum istud ELECTORVM concilium, cui præsidet ipse DEI Filius, abit; die XXIII. M. Junii; Horâ X. post. Merid.

Corpus exanime, Christiano ac solenni ritu, Mausoleo Gentilitio Ducum & Electorum Saxonix, inter questus & lacrimas pares SUMMORVM, INFIMORVM, MEDIOXVMORVM, infertur Fribergæ; die VI. M. Augusti.

EPITAPHIVM

*Inclyti Principis sic
habet :*

CHRISTIANVS II. DVX
Saxonix, Iuliaci, Clivix & Montium, S. Rom. Imperii Archimarschallus & Elector, Princeps animi juxtâ ac corporis dotibus insignis, prudens, fortis, beneficus, pietate in Deum, constanti fide in Cæsarem, amore in Patriam, æquitate & clementia in subditos, nulli Majorum secundus, gravis nemini, jucundus omnibus, bello Iuliacensi sine cæde & sanguine sopito, in complexu suavissimæ
& lau-

& laudatissimæ conjugis maximum sui desiderium relinquens, piè in CHRIS-
STO obdormivit, die XXIII. Junii,
Horâ X. post Merid. Anno M. DC. XI.
postquam vixisset annos XXVII. M.
IX. D. XXIII. & regnâisset annos IX. M.
IX. D. XXIII.

Moneta funeralis,
ab una parte,

*Imaginem defuncti Principis exhibet,
cum inscriptione:*

MEM. FUN.

Christiani II.

S. Rom Imperij Archimar-
schalli & Electoris, Ducis Sax. Iul.
Cl. & Montium, Pacifici, Benefici. Nati
XXIII. Sept. Anno M. D. LXXXIII.
Denati XXIII. Junij, An-
no M. DC. XI.

li 2

In aver-

In aversa facie:

Pro fide,
Supra fidem,
D E O & Cæsari,
Mors rapuit.
Non deficit
Alter.

Vos

Manes sanctiss.^{mi}
CHRISTIANI PRINCIPIS,
Salvete perpetuum,
Et
In sinu Christi
Perpetuum quiescite:

Tu,

Princeps-Elector inclyte;
JOAN. GEORGI;
Nobis superstes,

Cum

AVGVSTO
Duce inclyto,
Salve, vive, flore;
quàm diutiss.^{mè}
quàm feliciss.^{mè}

ORATIO

ORATIO PARENTALIS DE
VITA ET MORTE

*Serenissimi, & potentissimi quondam
Principis ac Domini,*

**DN. CHRISTIANI SE-
CUNDI S. ROMANI IMPERII AR-
CHIMARSCHALLI, ET ELECTORIS, DU-
cis Saxoniae, Iuliae, Cliviae, & Bergae, Landgravii
Thuringiae, Marchionis Misniae, Burggravii Magde-
burgensis, Comitis Marchae, & Ravenspurgi,
Domini Ravensteinii,**

*DRESDAE 23. Iulij pie placideq; defuncti, & Friber-
ga die 6. Augusti A. O. R. 16 11. monumentis
majorum honorifice illati.*

Scripta & publicè recitata Ienae
die 15. Augusti

**WOLFGANGO HEIDERO M. ACAD-
DEMIAE IENENSIS PROFES.
PUBL.**





SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

Principi ac Domino,

D. IOHANNI GEORGIO

S. ROMANI IMPERII ARCHIMAR-
SCHALLO, ET ELECTORI DUCI SAXO-
NIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET BERGÆ, LANDGRA-
gravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Burggra-
vio Magdeburgensi, Comiti Marchæ & Raven-
spurgi, Domino Ravensteinii, Domino suo
clementissimo.



Accipe fraterni, Septemvir JANE
GEORGI,

Funeris exequias, non quas vel Dres-
da parari,

Vel nitidis vidit locuples Eriberga metallis:
Sed Schola quas potuit celebrare Salana, misel-
Intant is iterare malis assuetas querelas. (las
Hic releges Patresq, tuos, Fratremq, benigni
Cui natura Parens guttas infuderat auri,
Et pia quem virtus radiantibus intulit astris

Acci-

*Accipe defuncti tennes, ò maxime Princeps,
Inferias, verasq; boni bone consule laudes.*

*Dii faciant, melior tibi nostra genethlia
pangat*

*Musa brevi, letoq; canens epinicia plausis
Digna Sophocleo memoret tua facta cothurno.*

*Vive diu, patriumq; regens feliciter orbem,
Parce bonis, compesce malos, justaq; bilance
Præmia da meritis, pœnisq; nocentibus instæ.*

Ienæ Calend. Septemb.

Anno 1611.

T. C.

Subjectissimus

Wolfgangus Heider M.

BENE-

B E N E V O L O
L E C T O R I
S. P.

Non sum animi dubius, quin mihi
paullulum ab Asiaticis ad Sparta-
nos deflectere, & *ἁκωνίζεν* pro re na-
tâ liceat. Nam, quod ait Pindarus, in bo-
nâ causâ tria verba sufficiunt, nec Agesilao
probatur sutor, qui parvo pedi laxiorem,
calceum induit. Sed ad rem. Scripsi orati-
unculam de Serenissimo Principe ac Domi-
no, Dn. CHRISTIANO II. Duce & Ele-
ctore Saxonix &c. qui jam beatus ævo sem-
piterno fruitur. Illam die crastino horâ 9.
matutinâ publicè recitare constitui: quam
ad panegyrim ut Viri Magnifici, Reverendi,
Amplissimi, & Clarissimi, qui hujus Aca-
demix lumina sunt & columnina, tum verò
Studiosi Juvenes, quos major & *πληροφωρία* &
φιλομαθία nobis fecit reliquos, dato signo
con-

confluant, & in audiendo benevolos, in ju-
dicando æquos, in condonando faciles se
præbeant, vehementer oro. Hæc paucu-
la satis jam futura sunt ijs omnibus, qui me-
minerunt: Spartanos per singulas harum
vocularum *ἄν & αἴνα* singulas epistolas absol-
vere potuisse. Valete, venite, favete, igno-
scite. P. P. die 14. Aug. A. O. R. 1611.

Wolfgangus Heider M.



P R O O E M I V M



*S*ervius Sulpitius ille Iureconsultus exi-
mius, auditores optimi, qui controversias sem-
per tollere malebat, quod paucorum est, quam
litium actiones constituere, quod serè omnium,
Ciceronem in 4. Epistolarum per literas certio-
rem facit, M. Marcellum Virum illum pra-
stantissimum, cujus causa tantopere laboraverat apud Casa-
rem, cum is jam receptus in gratiam, & restitutus dignitati sua
post diuturnos errores in patriam cogitaret, & Italiam versus
iter haberet, à P. Magio Chilone familiari suo pugione percus-
sum haud multò post diem suum obiisse: cujus cadaver Athe-
nas suos per lecticarios retulerit, & cum in urbe religione impe-
diretur, in nobilissimo orbis terrarum Gymnasio Academia com-
busserit, & ut eodem in loco monumentum ei marmoreum faci-
undum locarent Athenienses, curarit.

Egregia verò Marcelli sepultura, & iis omnibus, qui su-
am post mortem nobilitari, & docta per ora virorum, quod ait
Poeta, volitare cupiant, expetenda, cum propter loci celebrita-
tem, in quo nihil obscurum, nihil occultum nihil illaudatum esse
poterat: tum propter quotidianam hominum literatissimorum
frequentiam, qui illam Platonis scholam aut discendi causâ
magno numero, aut videndi saltem gratiâ semper invisere
solebant.

At verò si purpuram nobis ad purpuram, & aurum ad
aurum, quod apud Herodotum fieri jubet Artabanus, conferre li-
cuerit, ut certè licet omnibus: illi qui in Academiarum luce
versantur, & in studiis bonarum literarum etatem exigunt, ma-
gnis viris & benè de omni republicâ meritis, alia quâdâ ratione,
quæ plus noticiæ & celebritatis habet, plus splendoris & digni-

tatis

9. Philip.

4. Epist. 13.

9. Tuscul.

Lib. 7.

tatis, plus noticiæ & celebritatis habet, plus splendoris & digni-
tatis, plus durationis & memoria, funera facere, & extremum
sepultura honorem persolvere possunt: quod cum dicimus, non no-
bis ipsis Suffeni sumus, neq. mutuam muli scabimus, sed nihil ali-
ud, quam quod ipsa veritas erat dictura, profiteri non erubesci-
mus. Non terram vel egerimus, vel ingerimus, quod vespil-
lonum munus est: non balsamo cadavera inungimus, quæ pol-
linctorum cura: non cippos ad conditoria defunctorum
erigimus: non sumtuosa Mausolea excitamus: non ima-
gines sepulchris appendimus: non statuas apponimus: quæ
omnia vulgus hominum suspensum tenent, & in admira-
tionem plebejam rapiunt: sed bonorum virorum, si quid ipsis hu-
manitas accidat, familias & majores, virtutes & res gestas,
felicitatem & miseras, eventus secundos & adversos literis mæ-
damus, & ad posteritatem transmittere cupimus: quæ justorum
& exequiarum ratio multis nominibus illam alteram, quæ ma-
teriam fluxam & caducam habet, antecellit.

Sepulchrorum moles, quæ uno saltem ostendi loco possunt,
sive sculpantur è lapide, sive conflentur è metallis, sive è lignis
dolentur, vel hostium incursiones, præsertim verò barbarorum,
quales olim Turcæ fuerunt, & Scythæ, disturbant, vel tempesta-
tes & cæli injuria subito evertunt, vel terra motus absorbent &
deiciunt, vel exurgentes & incendia depascunt, vel, licet omnis
absit violentia, tandem ipsa vetustas sensim carpit, exedit, absu-
mit. At verò literarum monumenta, per quæ ubique terrarum
veluti per loculos illos vitreos, qui olim apud Ethiopes erant in
usu, non tantum figura & habitus corporum, sed etiam mores &
intimi recessus animorum, unâ cum omni consiliorum & rerum
gestarum varietate translucent, nihil est, quod atterere,
quod labefactare, quod convellere, quod frangere, quod dis-
sipare possit. Aut licet interdum, quæ sunt fatales rerum omni-
um conversiones, ab illa barbarie, quæ serè fuit septentrionalis,

Diodor.
lib. 2. c. 5.

Plin. lib. 10.
cap. 2.

septentrionalis aliquantulum oppressa, & semisepulta jaceant: tamen haud aliter, quam a vis illa unica, cui nomen Phœnici, suis è cineribus renascuntur, & luce pristina, quæ ut luna silens paullulum à nobis fuerat aversa, denuò totum orbem terrarum illustrant.

Cum igitur auditores hoc ipso tempore, quod Serenissimo, & Potentissimo Principi ac Domino, D. CHRISTI ANO II. Duci & Electori Saxonie, &c. præter omnem spem & expectationem subditorum, vita finem attulit, Fribergæ marmoreum, & tanto Principe dignum monumentum apparetur: quis vitio nobis dare poterit, si scholasticam eidem sepulturam adornemus, & Electoris optimi nomen, laudes, & honores immortalitati consecrare, quantum in nobis est, conemur? Quid enim? an non pudenda ingratitude alligaturi nos simus, si nostra literula hoc de Principe, cujus sub tutelâ jam aliquot per annos latuimus, & ea liberrimè docuimus, quæ vera & humano generi: salutaria, velut e lingue & muta conicescant? An non velificentur aliquantulum ejus gloria per quem tot cumulate beneficijs suam auctoritatem ad hunc usq; diem feliciter tueri potuerunt? An non illius famam & memoriam alant, à quo liberaliter hæctenus abita, & clementer sustentata fuerunt? Hæc igitur omnia mihi quoq; licet fortunam non facile periculari soleam, nec quidquam meos in humeros tellere, cui ferendo non sum, incitamento fuerunt: ut hanc oratiunculam, quæ utinam limatior esset & politior, de Serenissimo, Electore qui jam aliud politeuma sibi delegit, & scribere & recitare nò dubitarim. A vobis peto auditores, ut, si vivum Principem amastis, si mortuum lugetis, si ereptum desideratis, si sepulti memoriam conservandam putatis, me dum hoc pietatis fungor officio, & monumentum literarium potentissimo Electori pono, vestra sublevetis benevolentia, attentione roboretis, æquitate firmetis, ne hoc sub onere deficiam, sed, quam cæpi substructionem, ei manum ultimam feliciter imponere queam.

Quam

Quamvis autem tria sint, quae Plazo ille Deus Philosophorum in hoc genere argumenti requirit: mortuorum laudes, consolationes agnatorum, & iohortationes ad emulandi studium: tamen nos hoc temporis spaciolo nobis saltem primas summemus partes, & secundas ad Theologos, ad aulicos verò liberiores tertias remitemus.

In Menexeno.

Majores defuncti Electoris

Vtigitur, quod ferè moris est, à majoribus defuncti Principis initium faciamus: Aegyptij quondam si demortuos praedicare vellent, genus & familiam silentio pratervehebantur: cum omnes aequè nobiles esse putarent: quae, tamen opinio multis, si foret opus, redargui facile poterat.

Dionys.
lib. 1. c. 8.

Sunt & alii, qui semper in ore habent, & crebris sermonibus usurpant illud Poetae:

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus
Vix ea nostra puto. (ipsi,

Obid. 13.
Met. 1.
In Hercule
fur.

Et alterum Senecæ: qui genus jactat suum, aliena laudat: quæ acroamata sicut hominum vulgo, quod Nobilitati ferè insensum est, maximoperè probantur, ita si paullum excutias, nihil habent veri, nihil sancti, nihil, quod leviter saltem excusari possit.

Quid enim? an non quidquid sanguinis habemus & spiritus, id nostris à majoribus omne defluxit? an non indoles in utramq; partem à Parentibus in liberos propagatur, & transfunditur? an non & gloriam & ignominiam familiae nostrae participamus? an non & opulentia & egestatis haeredes sumus? an non honestà emulatione virtutes avitas, & res gestas quasi nostras facimus, nobisq; vendicamus? quæ omnia testimonio esse poterunt, quantopere desipiant, & propè dixerim, delirent illi, qui Nobilitatem non nisi bonum alienum esse, nec cuiquam laudi posse dari nugantur. Quanto melius Romani illi rerum

Kk 3

Domini

Alex. ab
Alex. lib. 3.
ap. 7. Po-
lyb. lib. 6.
Rofanus lib. 5
Int. Rom.
ap. 93.

Domini & omnium mortalium, quos Sol hic adspexit, quâ prudentiam, quâ virtutem, quare secundas, & perpetuam felicitatem excellentissimi, qui si funera fierent, majorum imagines longo ordine, & insigni pompâ defunctis præferre solebant. Tiberius Imperator in exsequiis Drusi originem gentis Iulie, Æneam, reges Albanorum, Romulum, & Appiorum effigies magno numero detulisse scribitur. Et Iuniam, quæ Cassia nupta fuerat, cum efferreretur, viginti Nobilissimarum familiarum imagines, quæ dignitatem ejus ampliarent, præcessisse feruntur. Horum itaq; Philonadiarum & elegantiam nos certè præstat imitari, quàm eorum sordes & inquinamenta, qui suam ipsorum originem nihili faciunt, nec pensissimos habent majores, sive terra sint Filii, sive summorum virorum, quibus plurimum omnis respublica debet, posteri.

Natalis CHRISTIANI II.

Electoris.

Natus itaque noster fuit Princeps, & nudus hanc in terram veluti naufragus quispiam, quæ omnium hominum est conditio, ejectus Dresda, anno supra sesquimillesimum octogesimo tertio, die 23. Septemb. qui Tecla Virgini sacer est, & Christianis sacris cum initiandus esset, hoc nominis boni ominis causâ dubio procul accepit & à Domino Patre suo, quo de paullo post & à proavo CHRISTIANO III. Rege Danorum Potentissimo: quamvis & in familiâ Marchionum, Misnia ac Lusatia Christiani cujusdam, sed ante multos annos, fiat mentio.

Albinus in
Misn.

Pater CHRISTIANVS I.

Patrem habuit CHRISTIANVM I. Ducem & Electorem Saxonie, Principem illum quidem atate juvenem, sed

sed auctoritate ad miraculum usque praestantem, & solius nominis fama plurimis vicinorum metuendum: licet occasio non ferret, ut quidquam bellorum gerere posset, ad qua tamen & animi magnitudine, & armorum ingenti supellectile paratissimus erat: quod norunt omnes, qui & Principem norunt, & armamentarium Dresdense viderunt. Vni regi Galliarum Heinricho Bourbonio, quem a legitima successione regni praeter omne jus & fas excludere Guisij cum Hispanis, non sine certissimo Germaniae periculo, conabantur, superbas tulit, & hanc cum a Gallis, tum a nobis tempestatem feliciter depulit.

Quid alii tum egerint, quid quaesierint, quid moliti fuerint, neque scimus, neque dicere habemus. Nec ea, qua jam sepulta, nobis refodere est animus, & in Deorum sacra manibus & pedibus illotis irruere velle. Hoc vero certum est: CHRISTIANVM I. Electorem referre gratiam voluisse Gallis, qui & ipsi Mauritium, quo tempore libertas Germania sub Carolo V. graviter affligebatur, & propè jam affecta jacebat, fideliter & armis & pecuniis fratrum instar iuverunt, & nondum illum Gordium nova servitutis, qui tum nec teoatur, ferro non infeliciter, cum aliter solvi non posset, dissecuerunt. Quin & reprimere cupiebat ac compescere luxuriantem, & propè lascivientem illam potentiam Iberorum, qui imperio totius orbis terrarum inhiant, ac licet Indiam orientalem simul & Occidentalem, quo jure, quave injuria viderint ipsi, subegerint, tamen subinde plures sibi mundos somniant, & aegerime ferunt cum Alexandro se unius angustiis concludi. Mature decessit CHRISTIANVS I. cum aetatis annum 31. nondum explevisset, magno cum subditorum planctu, & hunc Filium suum vix octennem reliquit. Ad ipsum igitur illud quod de Mariello canit Virgilius, si paullulum mutes, haud incommodè referre possumus:

Ælian. lib.
4. V. H.

6. Æneid.

Osten-

Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultra
Esse sinent. Vobis nimium Germana propago
Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent.

Verum non hominis tantum fortuna, sed etiam vita similis vitro, quod cum maxime splendet, frangitur: similis arborum foliis, quæ subinde nascuntur & defluunt: similis aquarum bullis, quarum tam repentinus est interitus, quam subitus fuit ortus: quâ de re cum plura dicere jam non liceat, ad Principis nostri majores revertemur.

AUGUSTUS.

AVus ipsi fuit Augustus Elector, at, o Deus bone qualis, & quantus Princeps? quam prudens in consiliis capiendis, felix in rebus gerendis, admirabilis in pace, formidabilis in bellis, beneficus in Ecclesiis, munificus in scholas, liberalis in pupillos & viduas, & deniq; auctoritate & potentia superans omnes Principes, qui ab usque Henrici Leonis ætate rerum in hac interiori Germania potiti sunt? Adversariorum calumnias, qui inter Lutheranos nihil consensionis esse clamitabant, & vix adituum reperiri, qui de summa religionis idem suo cum Parocho sentiret, non tam verbis, quæ os impudens maledicis obturare non possunt, quam re ipsa per eandem concordie formam egregie confutavit, & ita quidem singulari Dei beneficio silentium illis seu picis, seu graculis, seu ranis imposuit. Doctrina cælestis veritatem summos per Theologos rejurgavit, & pacem Ecclesiis nostris, quâ ad huc usq; quietè fruuntur, restituit, longè felicior, quam plurimi veterum Imperatorum, qui & ipsi libros innotuit, sed absq; successu ferè scribi jusserunt. Nec enim alia Principis hujus benefacta me attingere sinit & temporis brevitatis, & rerum copia, & magnitudo negotiorum, quæ in Augusti ætatem inciderunt.

MAV-

MAVRITIVS.

Patruus magnus CHRISTIANI II. fuit Mauritiuſ, inſignis ille Bellator, qui è Curibus parvis & paupere reſto miſſus in Imperium magnum (quas ſortes habuiſſe ſcribitur) intra pauculos annos & Gallis terrori fuit, & Turcas, non ſine vitæ periculo, fugavit, & Carolum V. ad aquas pacis conditiones, cum precibus, & interceſſionibus nihil proficeret, armis compulſit: tandemq; ſui ſanguinis effuſione velut alter Epaminondas pacem, & quietem his terris peperit. Nec enim ea quæ rogatus, fecit jam enumerare poſſumus. De V Vilhelmo Landgraviæ Thuringiæ, qui ante centum & triginta ſerè annos in vivis eſſe deſuit, olim his in regionibus dicere ſolebant provinciales: ſi ſis ocreis & calcaribus (ſic enim noſtrates loquuntur) indutus, & jam accinctus ad bellum aream aula Vinarienſis tranſiret, V Vurtzburgum in Francia, quod oppidum à nobis aliquot abeſt milliariis, & audire fragorem armorum, & trepidare. Certè non minor fuit Mauritiæ auctoriſ, nec formido minor, & pede ſi terram pulſaret, undiquaq; proſiliebant milites, id quod olim de ſe Pompejus gloriari ſolitum memorant. Magnus Princeps, & longè major futurus, niſi, quâ etate vitæ hujus fabulam peregit Alexander Magnus, & ipſe pro lege & grege, pro aris & focus acerrimè pugnans oppetiſſet. Veruntamen, ut bonis omnibus in vitâ admirabilis fuit, ita poſt mortem amabilior toti Germania eſſe cœpit, cum nepotem habeat Mauritiuſ Comitem Naſſovienſem, illum Belgicæ libertatis vindicem, qui contra potentiffimum Regem, & bellicoſiſſimam nationem ea geſſit, quæ omnis poſteritas mirabitur, & vix eſſe credibilia putabit, ſuoq; tandem exemplo docuit, Germaniæ Principes non eſſe lupos edentulos, neq; ſaltem aut pueros, aut venatores, aut ebrios, quod non ita pridem noſtratibus contempſim exprobrari me-

Lb

mini-

6. Æneid.

Valerius
Max. lib. 2.
cap. 2.
Juſtinus
lib. 6.Annual.
Thur.Plut in
Pomp.Plut arch.
Steid.

Eli. Spar-
ianus.

minimus. Verum ut vivos probare convenit, ita mortuos de-
mum laudare Pescennius Niger Imperator justum esse dixit.

H E I N R I C V S.

Plat. lib. 3.
de Il. Hesiod.
ib. 1. oper.
5 dierum.

DEinceps ad se nos vocat Henricus CHRISTIANI II.
prævus, religiosissimus Princeps, & omnem per vitam pa-
rens subditorum mitissimus, qui quæ in Belgio, & in Frisiâ sua
virtutis tyrocinta deposuerit, & quibus adolescens periculis se ob-
jecerit, non jam opus est, & multis commemoretur. Portio-
nem ditionis paterne minutulam sibi à fratre GEORGIO de-
latam boni consuluit & salva pace dimidium plus esse toto, si
quidem armis occupandum sit, persuasum & rectè quidem ha-
buit.

leid. lib. 12.

Georgius, cum senex serè capularis præter omnem expecta-
tionem non sine acerbissimo dolore filius orbatu esset, testamento
fratrem Henricum unâ cum Mauricio & Augusto filius hære-
dem scripsit, sed ea lege: ne veterem antiquarent religionem, &
Lutheranam substituerent. Hoc si recusarent facere, Carolo Cæ-
sari, & Ferdinando regi omnem legavit ditionem eò usque, do-
nec vel Henricus, vel ejus posteri resipiscerent, & ad gremium Ec-
clesiæ Romanæ redirent. Missi suere Legati, qui & hoc ipsum
Henrico nunciarunt, & illud insuper addiderunt: præter opu-
lentissimam regionem plurimum esse paratæ pecuniæ, ingens
pondus argenti facti & infecti, multum exquisitissimæ supelle-
tilis, quæ omnia si Fratri morem gereret, habiturus esset, & po-
steritati suæ lucraturus. At Henricus è vestigio nemine con-
sulto Legatis hoc responsi dedit: Vos, inquit, ut, quod sentio, li-
berè dicam, mihi similimi Diabolo videmini, qui & ipse Christo
deserebat omnia regna orbis terrarum. si in genua procideret, &
se spiritum illum mendacem & homicidam supplex adoraret. In
malam verò rem, & in crucem his cum fraudulentis pollicitatio-
nibus

nibus. An apud me tanti esse putatis ullas divitias, & thesauros ullas, ut eorum causâ doctrina cœlestis agnitam veritatem abjurare velim, & abjicere? Illi re infectâ & pudore suffusi cum sarcinulâ suâ repulsa domum revertuntur, & Georgium Ducem in erea temporis vitâ sanctum offendunt, cujus omnem provinciam Henricus pueri avaritia & ope Iohannis Friderici Electoris paucis atq; fidissimi suam in fidem adegit, & vicinis hunc è faucibus vulnere eripuit. Quin & Pontificiam religionem ex omni ditione submovens puram putam Evangelij doctrinam, cui inimicissimus fuerat GEORGIVS, Princeps aliâs magna virtutis & auctoritatis, ubique locorum disseminari, & in agro Ecclesie dispergi iussit. Rodolphus Habsburgensis cum ruri ebriquitaret, & sacrificium Eucharistiam ad agrotum ferentem obvium haberet, descendens cum ministro alteri equorum sacerdotem imposuit, alteri edituum: & ipse pedes ad usque decumbentis ades subsequutus fuit. Tum verò Monialis quaedam seu Vestalis, ut more veterum appellant, hujus pietatis mercedem Rodolpho spondit Imperium Romanum, ad quod non multo post erectus & ipse fuit, & ejus posteris numero decem, si Fridericum pulchrum iis accensere liceat. Non sum animi dubius, quin eâdem ratione pietas Henrici Principis hætenus omnem in posteritatem redundarit, eamque rebus secundis efflorescere fecerit.

ALBERTVS.

ABAVUS Christiani Electoris fuit Albertus Princeps, æternum gentis Saxonie deus, & gloria nunquam intermoritura, cujus de virtutibus & laudibus nulla silebit posteritas, nulla tempora, nisi prius vel inferior Germania maritimis fluctibus obruta cum Dordracò fuerit, quod omen Deus avertat, vel Austria barbarorû armis ab imperij corpore, quod & ipsum depreamur, avulsa, conticescet. Puer cum esset, & à plagiariis quibusdam

Ll 2

abdu-

Scholast.
Hom. 2.
Iliad.Zinggler.
Solum. 13.
lib. 4. theat.Lycosth. in
Chron. pra
dig.

Annal.
Thur. &
Mifn. Fabr.
lib. 7. orig.
Sax.

abductus, unâ cum Fratre Ernesto, suâ de salute gravissimè periclitaretur, singulari calliditate rem omnem carbonariis aperiens & seipsum servavit, & Fratrem à latronum manibus eripuit, & totius familiae ruinam interceptit. Vir cum factus esset, Belgas, qui tum ferociebant, quod fieri solet in rebus secundis, & suam felicitatem concoquere non poterant, diuturno bello fregit, represit, edomuit, & Principis sui, quem tantum non conjecerant in vincula, & indignis modis habuerant, imperata facere coegit. Hæc ALBERTI virtus, & hi admirandi successus in causa fuisse, primò quidem: ut à Pontifice, cujus tum sacrosancta erat auctoritas, dextra manus Imperii, & Rolandus à militibus diceretur: tum verò, ut Frisiam occidentalem sui laboris fidei, & maximorum, quos fecerat sumtum, mercedem caperet: quam ille gentem insrenem & rebellem maximis affecit cladibus & tandem sessorem accipere docuit: & denique, ut jure successionis in Ducatu Iuliacensi, si vacare cœpisset, donaretur quo nostri jam Principes, ut & pactis dotalitiis Iohannis Friderici Electoris, & Iohannis Ducis Iuliacensis ac Clivensis, qui Saxoni Filiam suam nuptum dedit, subnixa provincias illas, cum priores Domini jam defecerint, sibi deposcunt. Matthiam Hungaria Regem fortissimum, qui & imperatorem Turcicum aliquoties in fugam verterat, & Fridricum III. ex omni propè Austria precipitem eiecerat, non sustinuit tantum, & gradum sistere fecit, sed etiam aliquot sudit præliis, & retrò cedere coegit, dubio procul omni de Vngaria triumphaturus, si & pecunias subministrasset Imperator parcissimus, & justo tempore militem submisisset. Regnum Bohemia, quod ad ipsum post soceri Georgii Pogiebracii obitum deferebatur, non aspernatus est. Pragam enim ejus occupandi causâ lectissimo cum equitatu se contulit: neque tamen, cum dissensionum incertæ fidei & insidiarum plena videret omnia, certo cum suarum provinciarum dispendio subjugandum putavit. Illum aliquoties dixisse ferant, sibi fallacimum esse futurum

turum

turum armis victricibus totum orbem terrarum pervagari, si quinquaginta millia peditum exercitatorum, & decem equitum sub signis haberet. Et certè non temeraria fuit tanti Principis fiducia, quam & in seipso. & hoc in milite collocabat. Etenim præstabat scientia rei militaris, excellebat virtute, singularem obtinebat auctoritatem, & felicitate superior erat fortissimis, quos ætas illa ferebat. Principibus: quæ omnia si in uno belli Duce concurrant, ei nulla vis est, nulla potentia, & robur nullum, quod obsistere possit. Circumspectissimus erat in negotiis aggrediendis, cautus in adeundis periculis, sagax in occasionibus prospiciendis, patiens in expectandis, celer in arripiendis, acer in persequendis, pertinax in urgendis, animo intrepidus, manu strenuus, fuga minimè omnium assuetus, in victoria clemens & moderatus, adeò quidem: ut inter veteres Imperatores paucissimi sint, qui hoc cum Principe comparari possint. Iam verò si ad has Ducis virtutes accedant milites, qui piperis acrimoniam potius, quam papaveris saporem lacteum representent: quis dubitabit, quin ejusmodi copiis omnia facilima sint expugnatura futura? Hec facere non potui, quin de Alberto paulò fusius in medium afferrem: cum hic Princeps inter reliqua sidera domus Saxonica partim velut ille prosper hominum generi, & salutaris fulgor, qui Jovis diuitur, partim veluti rutilus & horribilis terre, qui Martis, eluceat.

Cic. pro leg
Manil.

Cic. in son.
Scipion.

Ad reliquos majores CHRISTIANI Electoris, qui Principes ac Reges, & Imperatores potentissimi fuere, non opus est, ut regrediar. Sunt enim illi toti familie Saxonica communes & de ijs jam aliquoties hoc è loco verba fieri, auditores, meministis.

MATER SOPHIA BRANDEBURGICA.

Mater CHRISTIANI Electoris fuit SOPHIA Brandeburgica Princeps laudatissima, & tot jam annorum vidua, lo-

ib. 5. Chron
Philip. 810.

hannis Georgij Marchionis & Electoris Brandenburgensis Fi-
lia, neptis Joachimi secundi, cujus parens fuit Joachimus pri-
mus, Academiae Francofurtensis conditor, avus Iohannes pre-
stans eloquentiâ. proavus Albertus Achilles Germanicus quos
Principes non tam è familia columna, cui ipsi dederunt origi-
nem deductos, quam ex vetustissima Guelphorum prosapia de-
scendentes saltem nominasse mihi satis jam erit: cum nullus pro-
pè in omni Germaniâ, sit angulus, quò fama Domus Nobilissi-
ma & Potentissima non pervaserit. De Alberto saltem id ad-
scribendum mihi videtur, quod de ipso refert Aeneas Sylvius in
Europâ sua, cap. 39. Albertus, inquit, à pueritiâ educatus in ar-
mis pluribus interfuit preliis, quàm alij temporis sui Duces. Mi-
litavit in Polonia, Silesia, Borussia, Bohemiâ: nullus in Germa-
nia angulus, quem non calcavit armatus: duxit exercitus in-
numerabiles, prostravit ferocissimos hostes, expugnavit muni-
tissimas urbes. In congressibus pugnam prior iniit: victor è pre-
lio excessit ultimus: in oppugnationibus oppidorum saepe murum
primus ascendit. Singulari certamine nunquam non stravit ho-
stem: in militaribus ludis nunquam equo dejectus fuit, cum ipse
omnes in se currentes equo deturbaverit. Quibus ex rebus non
injuriam Teuconicus Achilles appellatus est, in quo non solum mi-
litares artes, & Imperatoria virtutes singulari quadam gra-
tia reluxere, sed nobilitas quoque generis, proceritas corporis
ac venustas, & virium robur, ac facundia lingue admirabi-
lem eum ac penitus divinum reddiderunt. Hæc Aeneas Sylvi-
us de Alberto Marchione, quo de verissimè possis illud vetus u-
surpare.

s. Tuf.

A Sole ex oriente supra Mœotis paludes,
Nemo est, qui factis me æquiparare
queat.

In'o

Indoles & forma corporis.

AB his itaque majoribus, duo sunt, qua CHRISTIANVS Elector persanguinis, & temperamenti communio- nem accepit. Primò quidem robur illud corporis, & εἰς τὸ ἀξίον τὴν γαῖαν, quod inquit Poeta, hoc est, proceritatem & formam, quae vel sola quondam apud Indos & Aethiopes regno & princi- patu digna esse iudicabatur. Tum verò animam bonam, ut sacra loquuntur, & indolem generosam, quae non humi reperet, & ad spectum caeli ferre non posset, sed quae instar flamma sursum evola- ret, & ad summa quaque contenderet.

Educatio.

EDucatio Principis quae fuerit, scimus omnes, & si nesciremus, conjectura facitè possemus assequi. Nec enim verò consen- taneum est, optimis à parentibus vel negligenter haberi liberos, vel recti cum sint, ad nequitiam & improbitatem detorqueri. Cum igitur, ut arbuscula palis adstituta diriguntur, ne incur- vescant, & vites sustentur radicis, ne humi sordescant, & la- bruscarum instar non nisi omphacas pariant, ita tenelli puerorum animi literulis, & monitis salutaribus fulciendi sint, ne deor- sum prolapsi in pulvere improbitatis, & in vitiorum luto volu- temur: CHRISTIANO Principi, cum vix jam reddere voces & certo pede humum signare didicisset, Praeceptores dati sunt viri elegantis doctrinae, singularis prudentiae, & vitae incul- patissimae, qui alumnum suum & literas, quae necessariae, do- cerent, & omni virtutum genere, quas inter familiam du- cit pietas, imbuerent, & gravitate simul ac venustate morum perpolirent. In literis eò progressus est, quò plerumque so- lent magnatum liberi, non tam sua, quam aularum culpâ. Nihil vere laudis optimo Principi detrahant, sed interim nihil falsa affingant. Facere hoc solent Gnathones scholastici, qui

Stob. 63.

Aristotel. 4.
pol. c. 4. &
lib. 7. cap. 14
Sapientiae 8Horat. in
arte.

qui spe favoris emerendi immo liberalissimi sunt in laudibus alienis decantandis, & suas per deos omnes à quibus aliquid sperant, cælo inferunt: cuius vanissima levitatis & levissima vanitatis hoc tandem mercedis ferimus: ut postmodum si magnos Principes, & bonos viros constanter & graviter laudemus, ferè nemo sit, qui vera quoque dicentibus fidem habere velit sed omnia propter offam, & venirem auribus carentem dici, scribiq; suspicetur. Noster quod diximus, Elector aliquanto citius, quam fieri debuerat, bonis literulis valedixit, eandem propè fortunam expertus cum avo Augusto qui tamen, quæ in adolescentiâ neglexerat, atate jam ingravescente diebus singulis aliquid latinam in linguam è vernaculâ transferens sarcire conabatur, amulum hunc suum Nepotem dubio procul habiturus, si ad ætatis usq; vitam ipsi producere licuisset. Quin & testem habemus omnem historiam multos Principes, qui parum in literis profecerunt, quos inter Trajanum & post Ottonem magnam Carolum V. meritò numeramus, partim naturali quadam ingenij sagacitate præditos, partim usu rerum edoctos, partim consilij summorum virorum adjutos ea gessisse, pro republicâ, quæ ne literatissimi quidem sperare potuerunt.

Administratio reipublicæ.

ET jam decimum octavum ætatis annum CHRISTIANVS II. attigerat, cum illustrissimus Princeps ac Dominus, Dn. Fredericus V. Wilhelmus Dux & Proelector Saxonie, qui summâ fide suos pupillos curarat, & optimè rem publicam tutorio nomine gesserat, lubens volensque suâ illâ decessit provinciâ & omnia quæ suâ concredita fidei acceperat, salva & integra Christiano restituens in Thuringiam se recepit, neq; multo post rebus humanis exemptus cælestem in patriam & futuram ad civitatem, quæ nihil

Hebr. 13.

nihil laborum habet, nihil periculorum, nihil turbarū, nihil ingrati-
tudinis, magno cum subditorum mœrore demigravit. Rem-
it aq̄ publicam adiit Christianus adolescens, idq̄ morigerum se
præbens & legibus aureæ Bullæ, quæ à Carolo IV. congestæ hoc i-
psum fieri jubent, & consuetudini, quæ tot jam annis omnem
per Germaniam invaluit, & dudum inveteravit. Hanc verò
legem multi sunt, qui absurdam ac ineptam, & insuper com-
muni salutis exitiosam esse dicunt. Quid enim? an non mon-
stri simile adolescentulos ad reipublicæ clavum sedere, neq̄ suas
tantum moderari provincias, sed etiam summo Casari in admi-
nistratione totius imperii succenturiatam operam præstare? Est
enim hæc ætas eorum omnium, quibus civilis prudentia contine-
tur, imperitissima, & insuper servula voluptatum, & turbulen-
tissimorum affectuum, qui certè pessimi sunt consultores, & in-
tra pauculos annos è reipublicâ marmoreâ lateritiâ, è lateritiâ
stramineâ, è stramineâ plane nullam efficiunt. Hos verò cu-
riosulos, qui umbratilem in scholis agentes vitam quidlibet sibi
licere, & omnia cum Aristarcho ὀκελίξεν atq̄ carbone notare
sui muneris esse ducunt, ego velim admonitos, ne lepusculi leo-
nibus barbas vellissent, nec aciculis & forficulis suarum argutia-
rum eos, qui gladiis accincti sunt & hastis armati laceessant. Du-
rum est contra stimulum calcitrare, & stultum in eos, qui pro-
scribere possunt, scribere, & propè ridiculum inserto in laqueum
collo de abrogandis majorum legibus, quod olim fiebat apud Lo-
censes, verba facere, & si displiceat, suspendio temeritatis pœnam
luere.

Quin potius, quod de sacris & dicere & sentire pium est,
quæ non assequimur, ea veneramus, id ipsum ad superioris quoq̄
magistratus consilia & instituta referimus. Nec enim sine con-
sultatione diutina, & deliberatione gravissima sancita fuit lex
illa, & ab Ordinis imperii comprobata. Scimus autem legis
vim accipere suam & ab auctoritate magistratus, & à diurni-

Suidas &
Gy. lib. 7.
hist. p.

Actor. 9.

Macrob. lib.
2. Saturn. c.
4. Stobæus.
serm. 44.

tate temporis, & à rationum momentis, quæ ad obedientiam bonos cives etiam si non sint necessaria, sed tantum probabiles, flectere non difficulter possunt.

Neque novum hoc est, & insolitum, adolescentulos ad rem publicam admoveri. In Gallia Carolus sapiens, de voluntate Procerum & Principum regni, hanc legem tulit: ut mortuo regis Filius natus major, quem Delphinum vocare moris est, continuo succederet, & ingressus annum 14. ætatis inauguraretur extra tutelam foret, & administrationem reipublicæ capefferet. Videbat enim Rex sagacissimus, tutelis multa intervenire mala, quæ nisi brevitate temporis, commodius excludi ac submoveri non possent. Neque verò sum animi dubius, quin idem Carolo IV. & Principibus Imperii, cum hanc legem sciscerent, in mentem venerit. Quin & hoc majoribus nostris placuisse videtur: ut summorum Principum liberi, qui totius imperii lumina & columnine essent futuri, non tam ociosis præceptis, quam ipso rerum usu mature discerent illa munia, sine quibus respub. feliciter temperari non potest. Denique placuit Germaniæ Principibus, & Imperatoribus, juniores ad rempublicam accedere non eâ conditione ut in hac tantilla ætate suo arbitrata soli sine Consiliariorum monitis & subditorum opera, clavum patriæ tenerent: sed ut & legibus morem gererent, quæ subjectio maxima libertas est, & seniorum consiliis parerent, & à provinciarum ordinibus se moneari paterentur, & si exorbitare velint, in viam revocari, quod intra cancellos si Principes se contineant, non tantum adolescentulorum, sed etiam puerorum imperia, quod præter historiam populi Iudaici, vicina quoque regna testatum faciunt, tranquilla & salutaria esse possunt. Sed hæc jam mittimus, & ad ea quæ serenissimus Elector in reipublica gubernatione præclare suscepit, moderate gessit, & feliciter confecit, deinceps aggrediemur. Apud Ægyptios si quis vita fungeretur, & cadaver more patrio jam-

con-

Emyl. lib.
9. & 10.

Diodorus.
lib. 1.

conditum esset, & exenteratum, certus sepultura dies publice dicebatur. Tum vero mortuo quandam ad paludem, quam transurus ferebatur, in medium posito, assistentibus in hemicyclo iudicibus delictis, cui libet liberum erat ex animo accusare ejusque percensere flagitia, & quas intulisset aliis injurias dinumerare. Si probaretur hominem nequam, & improbum fuisse, privatus honore sepultura domi sine loculis ignominiose reponeretur. Contra vero si vel ipsi nihil criminis intentaretur, vel id, quo arcessebatur, fictum & falsum esse constaret: primo quidem has in calumnias graviter animadverti, tum vero, qui excesserat e vita, magnifice predicari, & honorifice terris inferri solebat. Idem si apud nos quoque moris esset, neminem fore putarim, seu potius certus sum, proditurum neminem vel subditorum vel exterorum, qui, ut maxime vim passus sit, tamen nullius injuria Electorem ipsum (nec enim fieri potest, ut omnia ministrorum dicta & facta tot inter imposturas & fallacias prestare queant principes) insimulare possit: quod si quis a me nimis confidenter dici arbitretur, is si animum advertat suum ad ea, quae jam allaturi sumus, paullo post seipsum erroris certo ccarguet.

Herod. lib. 7

Religio.

ITa religionis, sine qua nulla potest hominum esse nisi turbulenta & cyclopica societas, curam egit CHRISTIANVS Elector: ut ejus & ἀληθείαν, & ὀμνοίαν, quae duobus filius DEI morti jam vicinus Ecclesiae suae precabatur, sartam tectam servaret, & ad Successorem illibatam transmiserit. Ab eo tempore, quo religio, quae aliquot seculis oppressa jacuerat, caput exerere, & lucem aspicere denuo cepit, his in regionibus Ecclesia tantum serenitatis & quietis, tranquillitatis & pacis, consensionis & concordiae non habuere, quantum sub Friderico VVilhelmo, & Christiano Electore. Etenim qui in hac domo

Johan. 17.

1. Timo 3.

Johan. 10.

1. Petr. 2.

Johan. 4.

Nebem. 4.

Salust. in
bel. jug.Lucianus
in Dial.

DEI, & columnâ firmamentoque veritatis ministerio functi sunt, non fuere lupi, qui lanienis, neq; mercenarii, qui rapinis in gregem Domini grassarentur, sed Pastores verè boni, qui episcopum animarum nostrarum, & ἀρχιεπίσκοπον Christum secuti hoc unum muneris sibi delegatum putarunt: ut oviculas suas & pu- riorè doctrinâ pascere, & ad verè pietatis limpidissimos fonticulos, qui saliant in vitam aeternam deducerent. Non illi stylis & chartis pugnarunt invicem: non ut Cadmei fratres manus conseruerunt: non disidiis suis omnem implicuere patriam: sed mutuas tradiderunt operas, & conjunctis viribus opus Domini accelerarunt, simili Israelitarum, qui è Babylone domum rever- si alterâ manu arma ferentes contra insidias & incursiones ho- stium, altera instrumenta fabrilia, quibus lapides cederent, & ligna dolarent, muros & ædificia urbis Hierosolymæ reficiebant. Hanc ad concordiam, qua res minime crescunt, ut discordia ma- xime dilabuntur, subsequutum fuit illud salutis & felicitatis pu- blica, quo de Psalm. 33. Ecce quàm bonum & jucundum fratres habitare in unum, &c. Non exorta sunt nobiscum nova hæreses, non interpolata sunt veteres, non pomum Eridos in Ecclesias no- stras projectum est, non invaluit morum dissolutio, non impunè dimissa flagitiorum licentia, qua tranquillitas quanti sit, tum deniq; intelligere possumus, si quæ calamitates fuerint superiorum temporum, nobis in memoriam redigamus.

Non diu est, cum propè nullum decennium abibat, quo non funestissima turba malè feriatas ab hominibus in Ecclesiis harum terrarum cierentur. Si quid novæ opinionis in mentem illis ve- nisset, si quid insolitæ dictionis placuisset, si, ut Iupiter ille Poeta- rum novam quandam Palladem ex officinis capitum suorum ob- stetricante nescio quo Vulcano edidissent: illam non secum deli- tescere, nec privatos intra parietes excusi ab amicis sinebant, sed continuo provolabant in theatrum, suamque Pandoram in sce- na prostituebant, in arena venditabant, & à summis, à medio-

xumis

xumus, ab infimis magno cum applausu excipi, brachiis circumdari, osculis fatigari jubebant. Si quis ab his ludis abesset, aut tacitus assideret, aut gemebundus hanc intemperiem adspiceret, eum è vestigio Cryptohæreticum esse clamitabant, qui tepidus cum esset, multò minus quàm frigidissimus quisque tolerari posset. Ita nimirum revocabant legem Solonis, quæ capitale esse volebat, obortis inter cives turbis quiescere. Si quis autem vel presentium, vel absentium catulos illos simiarum, quod nudis essent cluniculis non probaret: tum verò pugnam vidisses, quæ longè, quam omnis Βατταχομαχία & asperior erat, & cruentior. Certabant odiis & inimicitis, rem gerebant conviciis & maledictis horrendis, diris & execrationibus digladiabantur, injuriis & persecutionibus se premebant, & pellebant invicem: cujus furoris nisi optimates, ac ipsi quoque Principes se ministros preberent, illis continuo vel hereseos vel hypocriseos labe aspergebatur. Hæc verò Theologorum bella quantum mali secum attraxerint, utinam monerent illi, qui harum rerum ἀυτόπται fuerunt. Certè si absq. his fuisset contentionibus, ex adversariis multa hominum millia secessionem ad nos fecissent. Et ut olim Asiatici perpetuis illis Episcoporum altercationibus, & rixis planè sepsi de omni religione dubitare, & cum Mahometismus Orientem invaderet, ad illum gregatim deficere cæperunt: ita dubium nō est, hanc concertationum frequentiam in causâ fuisse, ut apud non paucos fidei πλῆθος in δόξα in Academicam abierit & omnis ferè pietas refrixerit. In Diabolo ferè cuditur hæc faba, quod probè scimus, & is harum turbarum caput esse fertur, quod non negamus: sed interim & hoc addimus: parum hunc mendacii Spiritum esse profecturum si non ipsum allicerent homines ambitiosi, temerarii, virulenti, ac maledici, & huic incubo se sponte subigendos preberent. Cum igitur hi motus singulari DEI beneficio, & magistratus vigilantia, & paucitate applaudentium, & solitudine theatrorum sub CHRISTIANO Principe con-

Apoc. 3.

Gell. lib. 2.
cap. 12.

quieverint: est quod ipsi & Ecclesia, quæ pace crescit, & respu-
blica, quam ordinis sacri tumultus vehementer exagitant, &
singuli subditorum, quorum animis exempti fuere dubitationum
scrupuli, gratias ingentes agant, & hujus beneficii memoriam
obliterari nunquam sinant.

Cultus ministerii Ecclesiastici.

Theologos & Ecclesia ministros impensè coluit **C H R I -**
S T I A N V S II. Elector, & semper frè secum habuit. Coluit
verò non more Pontificio, hoc est, ut pedes ipsorum in terras pro-
volutus exoscularetur: ut equum adscensuris, quod rarò tamen
fit nobiscum, subijces pedaneos indueret: ut lecticarii vicem ob-
iret, ut deniq; dorsum ipsis submitteret.

Apagè verò tam servilia summorum Principum obsequia,
quæ nemo tyrannorum in media barbarie sibi unquam deferri po-
stulavit. Verùm aliud honoris & longè quidem majoris omnem
per vitam iis exhibuit. Eos enim certò statutum habuit nihil
aliud esse, quàm **DEI** ministros & legatos, qui pacem, ut cum **S.**
Sancto loquamur, annunciarent: quàm cooperarios & **Oecono-**
mos, ac dispensatores mysteriorum **DEI**: quàm fundamentum
Ecclesie lapide angulari existente Christo: quàm typos gregis,
qui & benè docendo, & piè vivendo suis auditoribus veram ad-
fidem, bonamq; conscientiam præirent: quàm Christos **DEI**, quos
tangere nefas esset: quàm custodes & excubitores, qui pro no-
stris animabus vigilarent, & rationem **DEO** reddere cogeren-
tur: quàm deniq; clavigeros **DEI**, qui cælum claudere & ape-
rire, qui ligare & solvere, qui destruere & ædificare, qui evellere
& plantare possent. Hæc igitur observantia erga ministeri-
um cum ipsius insedisset animo, docentibus benevolas aures præ-
buit, monentibus morem gessit, objurgantibus ignovit, egentes
sublevavit, oppressis opem tulit, nec quidquam durius unquam
in Ec

Cor. 5.
Esa. 52.
Cor. 4.
Tit. 1.
Pete. 4.
Ephes. 2.
Tim. 4.
Tit. 2.
1. Tim. 1.
Paral. 16.
Hebr. 13.
Matth. 16.
Iohan. 20.
Jerem. 1.

in Ecclesia ministros, si intra metas sui officii se continerent, statui passus est.

Religionis propagationem in Austria & Bohemiâ qua fide, qua diligentia, qua cura & sollicitudine juverit ac promoverit, cum litera ad Matthiam Austriacum exarata, tum actiones Pragenses apud omnem posteritatem testimonium dicent. Scholas & Gymnasia publica, qua omnis sapientia, virtutis, & eloquentia, sed imprimis tamen religionis incorrupta, & vere pietatis officinas esse norat, benignè fovit, auxit, ampliavit, & contra vim & insidias omnes eorum, qui ordinis scholastici dignitatem obtritam, gratiam extinctam, & privilegia abolita cupiunt, egregiè tutatus est. Non igitur audivit illud perditum, & projectum genus hominum, qui ut literatos premant, & beneficiis suis exuant, praeseferentes singularem erga Principes fidem & subjectionem, rationes ineunt primò quidem pecuniarum, quae singulis annis in scholas erogentur: quantum solvatur docentibus: quantum numeretur beneficiariis: quantum in alumnos convictorum insumatur: quantum alios in usus impendatur. O ingentem summam, o inconsultam profusionem, o tristissimam tanti peculii jacturam. Quam facile ditari posset aerarium sine oneribus subditorum? quot praedia coemi? quot oppida parari? quot arces extrui? quot sustentari milites? quot equi & canes ali? si esset absq; ociosis illis & prodigis hominibus, quos studentes vocant, sed potius ludentes & lascivientes in omni genere voluptatum nominare debebat. Sed pax sit rebus, audite cetera. Clanculam numerant omnes fructuum liquidorum medimnos, ut olim loqui moris erat, seu ut jam mensuras, & amphoras poculentorum, quas anni spacio sine pensione decimarum gulosi scholastici exhauriant, ingurgitent, abliguriant. Hic denuò magnam summam, quae decedat principibus, & interdum non sine vegrandi mendacio colligunt. Proh DEVM immortalem, ajuunt, quando tandem hi glives, & vituli Academici deglubere, quando

quando expilare, quando nudare, & re ditibus suis spoliare Prin-
 cipes nostros desinent? Quae nam pausa, quis finis, quis modus,
 quis exitus hujus patientia futurus est? Et his quidem, si dicantur,
 ab indoctorum magna colluvie adhinnitur, & responsurus
 ferit aera vocibus Amen: ut hunc mihi versiculum ab Ausonio
 mutuari liceat. Sed pergemus, & quidnam tela porro texant
 hi aranei videbimus. Si jam aliquid odii contraxerunt ordini
 scholastico, & aliquid invidia conciliarunt, rem ipsam aggredi-
 untur, & homines nauci ac nihili Privilegia Imperatoria, qui-
 bus tot jam seculis in omni Germaniâ & exteris in provinciis ne-
 mine contradicente fruimur, labefactare paullatim, & convelle-
 re minimè verentur: non tam quæstus causâ, qui certè minimus,
 quàm odii sui explendi gratia. His verò scarabais pilariis si re-
 spondere jam & occurrere liceret, nullum genus hominum esse pe-
 stilentius Ecclesie, nocentius reipublice, perniciosius omni vi-
 tæ, quàm horum scholasticomastigum facilimè demonstrare po-
 teramus. Sed verborum compendium faciemus. Non vident hi
 asiones, & damnum emergens, & lucrum cessans, uti loquun-
 tur, & alias molestias, quæ non magis à scholis, quàm à melle sty-
 li apicularum, & à rosis spine abesse possunt, abundè pensari, pri-
 mo quidem: bonis Ecclesiasticis, quæ propter abusum multipli-
 cem jure sibi Principes vendicarunt, sed ea tamen lege: ne Eccle-
 sias indigere, ne scholas inopia laborare, ne pauperes fame tabe-
 scere sinant. Tum verò infinitis utilitatibus, quæ ex scholis in
 Ecclesias dimanant, in Respublicas defluunt, in omnem vitam
 derivantur & redundant. De his verò non opus est, ut verba
 jam prolixè faciamus. Tolle mihi scholas: & omnis religio, quæ u-
 na vinculū est communionis inter homines, vel planè contiescet,
 vel meram in ἐδωσοφίαν, & ἐδωδενουσίαν degenerabit. Do-
 centium & discipulorum cætus, quod optare multi videntur, dissi-
 pa: & neq; leges habebimus, neque magistratus, qui rem tueri
 publi

publicam, & ab interitu vindicare possint, Bonas literulas in exilium mitte: & continuo vetus illa barbaries omnem in populum effusa ad sylvarum recessus, & latebras ferarum eos, qui imbecilliores, redire coget.

Et questu denique uberrimo, quem omnes provinciales in locis faciunt, quae scholasticis hominibus ferè sumtuosis hospitia praebent: ut nihil jam dicamus de liberorum facili & educatione, & elocatione: ad quae tamen omnia cecutiunt homines illi malevoli, qui cum oculos & animos invidia suffusos habeant, etiam ea quae ante pedes sunt posita, videre non possunt. Verum hoc lutum nec subigere pedibus libet, nec manibus tractare. Nobis illud saltem ostendendum erat, CHRISTIANVM Electorem bonarum literarum Patronum fuisse maximum, & iis, qui secus erant animati, tergum non aliter, quàm Elephantem grunniendi porco obvertisse.

Ex his igitur, quae jam diximus, auditores, quis tam est stupidus, qui non possit colligere, Principem nostram verè pium, & religionis amantissimum fuisse: cum haec opera tam praeciosa ab iis, qui Deos vel esse nullos autumant, vel somnolentos & ocio deditos, vel pietate ficta colendos, proficisci minimè possint. Et quidem cum loco symboli sibi delegerit illud Petri, DEVM time, regem honora: quid nã aliud de ipso suspicari possumus? nisi optimum Principem iis aggregare velimus, qui aliud ore proferrunt, aliud conditum animo circumferunt, quas simulationes illum non secus, quàm portas inferorum cum Achille Homericò, per omnem vitam odisse constat.

1. Petr. 2.

Iliad. 9.

Observantia RODOLPHI

Imperatoris.

Imperatorem RODOLPHVM, quem summum habuit Magistratum, verbis, opere, & patientia honorare ad extremum

Syr. 3.

Nn

usque

Rom. 13.

Plut. de fra-
ter. amore.Eschyl. in
7. ad Theb.!Stol. serm.
41.Plut. La-
lon.

usque spiritum non destitit, amavit ut patrem, ut Dominum veneratus est, ut *νομοφύλακα* metuere, quod sacra fieri jubent, turpe sibi non esse duxit. Nunquam ejus nisi plenam observantiam, & benevolentiam mentionem fecit, & quamlibet absentem exquisito verborum honore prosecutus est. Legibus imperii summa voluntate paruit, decretis morem gessit, consuetudinibus obsecundavit, & imprimis, ne pax illa, quae utriusque religioni data, nostrorum pervicacia, & temeritate dissolveretur, unice praepediendum sibi putavit. Hoc enim vinculum si rumpatur, hic nervus si incidatur, haec moles, quae obiecta furoribus hominum turbulentorum, si dissipetur: actum erit omni de Germania, & dissidentes inter se partes non alio, quam quo Dracones & Elephantes, eventu congregientur. Sumtus ad bellum Turcicum, quod utinam prorogatum fuisset syncretismi causa futurum, liberalissime, praebuit. leges de pondere & valore numismatum exactissime observari curavit: quae magna Principum laus est, si accedat dictorum, conventorumque constantia, & securitas publicarum viarum. Si quid ipsi cum aliis intercederet controversia, id superiorem ad judicem deferbat, & ordine consueti jus suum persequeretur, acquiesceret in sententia, quae tandem lata fuisset. Factum hoc cum alibi, tum maxime in causa Iuliacensi, cujus non ab armis, sed à disceptatione juris fecit initium: quamvis alterius quoque partis vigilantia, in tam ancipiti & dubia hominum fide, non male cecidisse videatur. Haec obedientia semper evnq̄a-
tias mater fuit habitae: unde quidem & Solon interroganti, qua ratione salva possit esse respublica? si, inquit, cives obtemperaverint magistratibus, & magistratus legibus. Et cum quidam Theopompo dixisset florere civitatem Spartanorum, cum bene imperare didicissent: imò verò inquit, quia subditi parere norunt.

Neque saltem in rebus secundis praestitit Imperatori, quod cuilibet factu facilimum, & qui captus est ollarium amicorum,

sed

sed etiam in adversis opem summa fide tulit, quidquid ad eundem esse periculi, quidquid contrahendum in via, quidquid pecunie profundendum. Cum Austriaci irruptione subita Bohemiam invasissent, & Imperatoris salus in acie novacula consistere, interq; sacrum & saxum stare videretur. tum vero CHRISTIANVS Elector primū singulari cavet prudentia, ne in Regis aula, quæ consternata tum erat & attonita, loci mutatione quidquam susciperetur, quod toti Germaniæ neque salutare, nec honorificum erat futurum. Quin & hoc multo labore per legatos suos perfecit: ut pluribus e malis eligerentur ea, quæ minima, & concessione quadam necessaria cum novis illis satisfaceret hospitibus, tum Bohemis qui à totoque religionis, & privilegia sua reposcebant, aliquid indulgeretur. Hæc ipsa verò mala cum anno superiori recrudescerent, & cum capita quadam præterita transactionis mollienda viderentur, cujus rei causâ nonnulli Germaniæ Principes ab Imperatore Pragam acciti erant: CHRISTIANVS Elector inter primos affuit, & ut illa gravissima negocia, quæ ceu tela Penelopes retexenda videbantur, minimo periculo componerentur, sibi unicè dandam esse operam existimavit, non sine longo tempore, multo labore, curis acerrimis, suspicionibus variis, offensionibus plurimis & sumptibus longè maximis, quas difficultates omnes Reipublica causâ non exorbere gravatus est. Quæ verò sub initium hujus anni redintegrata sint turba, quibus armis tota petita sit Bohemia, quæ regni mutationes subsequuta, neminem esse puto, qui saltem fando non acceperit. Hujus Tragediæ, cujus quæ futura sit catastrophe, nondum apparet, qui auctores sint, qui participes, qui consui, qui histriones tum verò quid cōsiliū agitarint, illi viri duplices, illi polypti, illi modo palliati, modo togati, quid machinati sint, quid spei cōceperint, cogitare nobis & cōijcere impunè licet. sed scribere non licet: cū incerta, & periculosa sint omnia. Georgius Pogiebracius, cujus filia Zedena nupsit ALBERTO Saxonie Duci, cū cepisset

Æm. Sylb.
cap. 58. hi-
stor. Bohe.

Pragam metropolin, totum Bohemia regnum facile subjugavit. Idem fortasse sperarunt illi Pragensium amassi, qui nuper hujus ad urbis portas, non tamen cum citharis & tibiis, sed alio cum instrumentorum genere venerunt. At verò non omnibus datur navigare Corinthum, neque multi sunt Timothei, quibus dormitantibus fortuna circumit urbes, & laqueis suis irretitas e-vigilantibus tradit. In hac rerum omnium confusione CHRISTIANVS II, Elector sui non oblitus est, nec Imperatori defuit, sed per Legatos omnes ixit rationes hujus incendii restinguendi: quamvis ejus optatis fortuna non semper aequè respondisse videatur. Fatales enim conversiones instar summi coeli tam incitatae sunt, & violentae: ut hominum consiliis, etiam moderatissimis sustineri & interverti rarò possint. Neque verò cum eadem inter homines semper agatur fabula tantum mutatis personis, mirum est, ea jam nobis spectantibus evenire, quae multis olim regibus, & Imperatoribus, si consenescerent, accidisse legimus. Plures adorant solem orientem, quam occidentem, agebat Pompejus adolescens: quod tamen responsum Syllae datum planè senilem prudentiam sapiebat. In contemptum, & odium Principes annis, canis, & rugis obsitos haud rarò vocant aetatis imbecillitas, fracta corporis & animi vires, difficiles aditus, negotiorum fuga, culpa ministrorum, quae multorum capitarum est, bestia, collecta plurimorum annorum offensiones, studium rerum novandarum, hominum ingratitude, & liberorum orbitas quae non est de nihilo: quibus tamen causis intervenit Dei justitia, qui si hac in vita potius utere velit, & secare quam insecutura, sepe magnis calamitatibus Reges, & imperatores non malos castigat, & ad pœnitentiam invitat. quae de re somnissim M AVRITII, qui funestam sui Imperii praesentiam habuit, nos monere poterat. Verum ut ut sit: Electoris CHRISTIANI fidem erga R C D O L P H V M Imperatorem grata quondam agno-

Gell. lib. 1.
cap. 8.
Plut. in
Sylla
Alian. lib.
13. V. 11.

Plut. in
Pompejo.

Zonaras
lib. 3. An-
nal.

agnoscet posteritas & nunquam in oblivionem venire permit-
tet.

LEGVM CVSTODIA.

Idem Elector jus & fas, æquum & bonum, rectum & honestum
lacerrimè tutatus est, & ne solveretur fides, quæ est anima so-
cietatis humanæ summo, quo fieri potest, opere sibi curandum pu-
tavit, Leges & Imperatorias, & provinciales eludi suorum loco
moveri, & majusculis à vespis, haud aliter, quàm telas aranearum
perrumpi, quod Solon querebatur, nunquam ferre potuit, sed u-
nicè dedit operam: ut in earum sensu pariter, & usu constaret
interpretationis, quæ quidem haberi potest, certitudo, sententia-
rum æquitas, & executionis moderata severitas. Si enim sit
absq; hac triplici cautione: magistratum decreta non jam le-
ges sunt amplius sed Sophistarum ludibria, sed Sycophantarum
schemata, sed inania terriculamenta. Hoc ipso fine C H R I-
STIANVS Elector in tribus illis, quas domum Saxoniam a-
peruisse scimus, Academiis, eximios Iureconsultos legum inter-
pretes esse voluit egregios Senatores suis dicasteriis præfecit, ju-
dicia publica viris prudentissimis, & optimis delegavit, & de-
niq; magistratus inferiores, qui ad Principis sui nutum, si quid ex-
ecutioni mandandum, paratissimi forent, sibi delegit. Imprimis
autem curias Indiciorum provinciarum sartas lectas serva-
re, præcipuam sui muneris partem esse censuit: ne vel aula, instar
Cæciæ venti, omnes ad se controversiarum nubes, & nebulas ra-
perent: vel cum his in provinciis ad Imperii Cameram provoca-
re non liceat, jus suum ulli, vel denegatum, vel ullas in angu-
stias redactum videretur. Et hi ipsi vel Areopagita, vel Am-
phictyones (nec enim ipsis hoc nominis incommodè tribuere pos-
sunt.) Viri sunt partim nobilitate incliti, neq; patria saltem & a-
vitâ, sed etiam propria virtute præstantissimi: partim juris pris-
dentia Doctores primarii. Et quidem utriq; in dignoscendis

Laertius.

Lucian. in
sectis
Pausan. in
Rhosais.

Plut. de Iside
5 Busiride
fol. 134.
Aristot. 4.
de anima!
ap. 10. Plut.
de frat.
amor.

Cic. 2. Phil.

omnibus causis oculatissimi, sed ad ea, quae nihil ad rem faciunt, nec ad juris questionem pertinent, omnino caci. & insuper cum iudicibus Thebanis truncis manibus ad munera, si quae offerantur accipienda: in dandis vero scribendisq; consiliis ab illa corporis parte, quam sapientiae causam Philosophi nominant, instructissimi. Neq; tam collo suspensam habent veritatis & iusticiae imaginem, quam animis suis penitus impressam, & toti infixam pectori, & omnibus sensibus insculptam. Quin, ne quid desiderari posset in enucleandis subditorum controversiis, Iudicio provinciali Senatus Appellationum est superadditus, cuius ad opem illis confugere liceret, qui latis in sententiis minus acquiescunt: quamvis hoc quasi corollarium non tam necessitas, quam litigantium, si causa cadant, querela, & extremi quod in re perditam fieri solet, conatus efflagitasse videantur. Neq; vero in his tantum, sed etiam in ceteris partibus administrationis publicae facile ipsi fuit, rectum clavum tenere: cum ejus aula nihil esset aliud quam equus Durateus seu Trojanus, in quo Viri genere nobilissimi, Virtute integerrimi, & prudentia sagacissimi concludebantur. Cum itaq; Princeps optimus & seipsum legibus submisserit, & earum ad praescriptum omnem rempublicam conformarit, & quaslibet deniq; controversias dirimi voluerit: quis nam erit frontis tam perfrectae, & tam effrenis linguae, qui ipsi ullius injuriae dicam possit impingere? Tyranni jus & fas non attendunt, sed arbitrata suo gerunt omnia: non salutem populi sibi praestitutam habent, sed suas tantum captant utilitates, & voluptates aucupantur non persuasione cives ducunt, sed vi pudenda quolibet abripiunt. Tyranno voluntas est pro lege, mina sunt pro ratione, coactio pro aequitate, crudelitas pro executione, quae omnia à Principe nostro fuisse alienissima, nemo est qui nescire possit. Hic vero quam mihi facile futurum erat in commendationem legum, quae sunt nervi, sanguis, Spiritus & anima civitatis, quae fundamentum omnis iusticiae, praesidium libertatis, pacis vinculum,

bono-

bonorum solatia, improborum terriculamenta, infirmorum auxilia, potentiorum frena, excurrere. Sed festinandum mihi ad sequentia, ne prolixitate nimia vobis aliquid peperisse molestia videar.

Studium pacis.

POETA Iovis conjugem ferunt esse Themis, quam naturalem equitatem intelligunt, è qua εὐνομία, δίκην, & εἰρήνην, hoc est, bonas leges, justiciam, & pacem susceperit. Elegans figmentum, & cum acuminis poetico, tum veritati planè consentaneum, DEVS, & natura bonas leges in lucem proferunt, & justiciam sanciant, è quibus pax, & publica tranquillitas semper efflorescunt. Factum hoc sub CHRISTIANO Electore, qui cum tenacissimus esset legum, pacem his in terris facile colere potuit, etiam cum iis, quos ὁμοψύχως in religione non habuit, & omnes bellorum motus, si qui gliscerent, antevertere. Per hoc itaq; decennium, quo verum potitus est, non ullum sub signis militem, non vaginam gladio vacuam, non rapinas & latrocinia viarum, non interversa commercia, non villarum incendia, non everSIONES urbium, non sexus muliebris ignominiam, non cedes hominum innocentium, non liberos potius à parentibus sepultura traditos, quàm parentes à liberis, non honestissimarum familiarum excidia, non mutata rerum dominia, non religionis oppressionem, non abolitionem legum, non dissipationem scholarum, non neglectam juventutis educationem vidimus: sed omnia quieta, & pacata sensimus: quod certè beneficiū longè majus est, quàm ut CHRISTIANO Electori pares unquam habere gratias, & referre possimus. Dulce nomen est pacis, res autem ipsa cum juvenunda, tum salutaris, qua non modò ea, quibus natura sensum dedit sed etiam tecta, & agri latari videntur. In bellis autem videre licet funestam malorum & publicorum & privatorum ideam, quam

Herod. lib. 1.

13. Philip.

23. Philip.

quam si quis fortassis animo suo capere nondum potest, is quaso
 legat querimoniam pacis, & explicationem proverbii, dulce bel-
 lum inexpertis, quarum utramque nobis Erasmus descriptam reli-
 quit, & vix sibi temperare poterit, quin exclamet cum Cicerone.
 Si quem discordia cades, bella delectant, eum merito ex numero
 hominum ejiciendum, & ex finibus humane nature exterminan-
 dum putamus. Hic verò pacis amor, & hac φιλοσυχία tan-
 tò plus in hoc Principe nostro meretur admirationis, quanto caus-
 se plures, & commodiores, ut videbantur, occasiones, & acro-
 res, eorum, qui cognato sanguine Germaniam respergi cupie-
 bant, instigationes ipsum in causâ Iuliacensi ad arma sumenda
 tum extimularunt. Dubio procul illi pulli Martij in ore sem-
 per habuerunt causse equitatem, familia Saxonica auctorita-
 tem, potentiam, & incrementum, singularem Cesaris gratiam
 amicitias summorum Principum, sociorum auxilia, pecunie con-
 ficienda rationes non impeditas, adversariorum difficultates,
 subditorum vires, ac benevolentiam, & si qui alii sunt fomites,
 quibus ignei Principum animi inflammari solent, & turbarum
 fumis involvi. Neque verò dubito, quin tam angeli boni, &
 mali, cum hæc agitantur consilia, in aula Dresdensi inter se a-
 ierrimè conflixerint, & altera quidem pars ad concordiam, &
 pacem hominum voluntates invitavit, sed altera bellorum ad-
 motus, & ad humani sanguinis effusionem abstrahere conata
 fuerit, quod ex 10. cap. Danielis admodum probabiliter mihi col-
 ligere posse videor. Vicere tandem illa πνεύματα λειτουργικῶν
 quorum ministeria sunt ὑμνωδῶν, & διακονῶν, quod ait Theodoretus,
 hoc est, laudare DEVM, eidemque, sicut & hominibus, inservire.
 Vicere preces piorum, quæ Diabolis & ἐνδιαβολισμῆν ἀνομιῶν arma
 velut manibus extorservunt. Vicere moderatiora bonorum vi-
 rorum consilia, qui bella movere, & ad arma conclamare pericu-
 lissimum esse dicebant, idque plurimas ob causas, quas hoc enume-
 rare loco velle, nimis & prolixum, & periculosum erat futurum
 Vobis

Hebr. 1.

Vobis o viri optimi, quorum animos dubio procul melior Spiritus adflavit, DEVS ille non auctor confusionis sed ordinis, qui pacificos amat, & beatos esse pronunciat, his pro meritis, quae certe maxima, vicissim ea, quae optatis, omnia remuneretur, & faciat, ut ad extremam usque senectutem pacatam & florentem patriam moderemini, & vos & natorum, & qui nascentur ab illis. Certè si nihil aliud in nos beneficii contulisset CHRISTIANVS Elector, quam hoc pacis & tranquillitatis publica firmamentum, optimo tamen jure dici posset subditorum egyptus maximus, & omnium posterorum memoria, voce, literis, ac momenti honestandus.

Cum Fratribus suis, & agnatis Principibus conjunctissime vixit, & ita quidem vixit: ut nulla prorsus inter ipsos nascerentur offensiones: seu potius, ut omnes illae, quae superiorum è temporum calamitatibus erant reliquae, prorsus sopirentur, & ex omni memoria tollerentur. Tum verò invictae sunt Principum familiae, si instar virgarum, aut sagittarum colligatae sint, & conjunctis viribus omnem ab se vim repellant. Fridericus admorsus, & Ticemannus Fratres, quorum idem animus eademque voluntas, soli duos Imperatores his è provinciis expulerunt. At verò in bello Germanico nihil aliud has regiones Hispanis aperuit, quam Principum cognatorum, quos distraxerant hostes, intestina dissidia, quae pessunderunt omnia & ea nobis inflixerunt vulnera, quae intra annos fere 70. vix consanari potuerunt.

Clementia.

Nihil jam dicam de CHRISTIANI Electoris clementia, quae talis actantae fuit, ut cujus causam nemo prater meritum pullam vestem unquam gestare coactus fuerit, quod Pericles moriturus de seipso gloriari solebat. Nulli subditorum vis ulla facta,

Oo

1. Cor. 14.

Matth. 5

3. Annot.

Luc. 22.

Annal.

Thur. &

Misn.

Plut. in Pe
riolo.

facta, nihil injuria cuiquam illatum: nemo contemptim fuit habitus: aut si quid peccatum fuit, illud certè non ipsi Principi sed aliorum improbitati acceptum referendū est. Nec n. ulla, si paullo major, & populosior sit, aula reperiri vel à primis imperiorū incunabulis potuit, in quam non λυπὸν ἔργον, non hyæne, non vulpecula, non vultures, non monedæ irrepsent, & ibi nidulari cœperint: quamvis ipsi Principes oculatissimi fuerint, & interdum ipso Davide nihilo deteriores.

Stob. serm.
44.

Si qui subditorum aliquid humani passi essent, ipse τυρωγιτικός non erat, nec è suppliciis quidquam capiebat voluptatis, sed, si rei ducerentur, cum Biante vix lachrymas continebat. Interim verò pœnas sumebat à nocentibus, quorum in delictis ἐπιείκεια locum habere non poterat & maximopere cavebat, ne suo de magistratu illud Mimi diceretur: veterem qui fecit injuriam, invitat novam.

Liberalitas.

TAm liberalis erat, & munificus, ut multis, qui angustiis suorum ingeniorum Principum animos metuantur, excedere modum, & dandi morbum habere videretur. Sed quid aliud his moribus, & his temporibus faceret? præsertim in ætate juvenili, quæ vix est, ut esse restricta possit, Magnis viris, qui Atlantis instar virtutibus suis omnem sustinent rempublicam, χάρις ἰσὸς ποτὶ θεόν, hoc est, æquilibris gratia, licet proorsus in audentur, rependi non potest, nec de iis accipi velim ea, quæ jam dicturus sum. Inter reliquos verò ministros quotusquisque tandem est, qui aularum officia non messem auream esse putet? & ea simul ac obire cœperit, non continuo velut Atticus moriens porrigat manus, & se le Tartessia se rapaciorem esse demonstrat? Si qui verò negligantur, sicuti volubilis est, & incerta fortuna rota, & si se sua jam

expe-

Plut. in
præc. ger.
reipub.
Diogema-
nus.

expectando fessi tandem excidant, vehementer ipsis succensere dominis, & præter supinam operarum suarum negligentiam, eos cum equo Sigismundi, qui in aquas emittebat lotium, conferre non verentur. Ut igitur Princeps non tantum bonis suorum laborum exolvat præmia, sed etiam his laris hiantibus aliquid prædæ offerat, cum numero plurimi sint, quantum pecunia erogandum, & propè dixerim prodigendum, putamus? Et videte quæso hominum seu stultitiam, seu potius malitiam. Aliis si benè fiat, omnes de effusâ Principum liberalitate conquerimur, ac ararii publici vicem mirificè dolemus, & illud arbori sorbo, cui folia universa simul decidunt, hæud absimile esse non absque supercilio dicimus. Interim verò nobis semper pendet hamus, semper retia pandimus, semper, aranearum instar, telas nostras explicamus, & aliquid lucri captare non desistimus: donec cæcus & claudus ille Plutus tandem ad nos divertat, & ventri famelico aliquid offæ objiciat. Tum itaq; benè rem gestam, sumptus optimè collocatos, & pecunias egregie dispensatas esse jactitamus: ita fieri oportere: ita benè merita pensari: ita constabiliri rempublicam: ita virtuti debitam mercedem solvi: quæ ministrorum pleonexia facile Principes excusat, si his gulonibus aliquando plus, quàm expedit, dare cogantur: præsertim cum nihil magis in contemptum magnates adducat, quàm si quis *μυρολόγος* sit, & Galbæ Imperatori similis, qui dispensatori brevium rationum exhibent, paropsidem leguminis plenam pro fide rependi jussit, & Cano Choraulo supra modum placenti quinque denariolos suis è loculis prolatos loco muneris obtulit: quod honorarium Cynicum potius erat, quàm regium & Imperatorium.

Deniq; senibus dari solet venia, si κατὰ κέρας vivant, & posteritatis causâ multum viatici querant, licet parum via superfit. Adolescentes verò, & maximè quidè Principes, qui statim

lib. 5. Chron.
Philip.

Plin. lib. 16.
cap. 25.

Sueton.

Cic. de senectut.

viscosi, lenti, tenaces, aridi, & sordidi evadunt, brevi, si plusculum etatis accedat, in Eucliones, quod genus hominum sordidiss. & odiosiss. plane degenerare consueverunt. Hæc jam afferimus non defensionis causâ, si forte non nihil exorbitatum fuit, quod tamen ego, qui rã xub' exasa nescio, dicere non habeo, sed excusationis saltem gratiã & honestissime quidem excusationis, quam augere culpam nemo saniorum dixerit.

Confutatio aliter sentientium.

Hic verò duo sunt, qui ab hominibus rerum imperitis, qui aulam putant esse scholam, & rempublicam adicula privatae curam, obmurmurari nobis sentio. Primò quidem, familiam nostri Principis vixisse nimis Musicè, & prope id idem consuevisse. Tum verò locum non semper habuisse illud Tiberii, qui boni pastoris esse dicebat tondere pecus, non deglubere: quæ omnia tamen ejusmodi sunt, ut facile refelli possint. Culpant in aula nostri Principis, quod commune est toti Germaniæ, & nostris à majoribus, quo ad longissimè respicere spacium præteriti temporis, & memoriam recordari ultimam possumus, acceptum. Verissimè dixit quicumque dixit, pontam Polonicum, Monachum Bohemicum, Suevicam Monialem, Militem Australem, (olim quidem) Italarum devotionem, & Alemannorum jejunia fabam valere omnia. Inprimis vero quæ sit frugalitas, quæ Temperantia, quæ sobrietas inter Ecclesiasticos Pontificiorum, qui serè nobis iniquiores sunt, id testatum faciunt libelli de arte & ποικιλῆ non ita pridem scripti, qui ex Episcoporum aulis prodierunt, & ejusmodi epulas ipsis quoq; jejuniorum, si Deus placet, diebus quâ numerum, quâ varietatem, quâ cupedias describunt, ut his prægulonibus Apitius & Lucullus nihil omnino sapuisse videantur.

Neque

Sueton.

Tholosan.
lib. 4. cap. 4.
sect. 6. ex
Heinrici
Brebeltii
proverb. germanicus.

Neq̄, verò magnopere mihi reprehendendus videtur Amasis rex Aegyptiorum, qui horis matutinis in foro desidens publicis negotiis vacabat, sed pomeridianis nonnihil indulgere genio, frontem exporrigere, convivia agitare, cum amiculis joculari, & vino curas diluere solebat. Si enim Principes eà qua pare est fide, rem gerant publicam, & nihil eorum, quae sui officii, praetermittant: illi certè non admodum suggillandi videntur, etiamsi interdum his in regionibus, quae & astate & hyeme ventres habent calidiores, ad exemplum Catonis pitissare, & cottabum facere, sed tamen citra insanam ebrietatem soleant. Memoratu dignum est illud Ieremiae Prophetae, qui ad Ioachim regem Iudaeorum, Pater, inquit, tuus nonne comedit, & bibit, & fecit iudicium & justiciam tum, cum bene ipsi erat? Et Xiphilinus in Epitome Dionis auctor est, Trajanum illum Imperatorem optimum vino aliquantulum deditum fuisse, nec tamen quidquam nequiter fecisse & passum esse: quod hoc attingendum loco putavi, ne quis existimet, magistratus publicos, si jus dicere jam incipiant, continuo ad Epicuri panem cibarium ad Xenocratis caseolum & caninum ad prandium Diogenis esse condemnandos.

Onera publica quod attinet, non minus hoc verum est, quam redditum ex tripode Apollinis oraculum. nulli Principum licere vel unum teruncium à subditis invitis praeter consuetas pensiones exigere: nisi aliud extrema necessitas efflagitet. Estote contenti stipendiis vestris, neminem concutiatis, neminem calumini, inquit ad milites Iohannes Baptista: quod sibi dictum omnes illi, quibus gladium commisit Deus, esse putent. Deinde fatemur, & hoc alterum: Imperia, quae aurea quondam & argentea fuerunt, vix iam esse ferrea, vix lutea, & longè quàm olim, propter & tyrannidem multiplicem, & acerbicatem in tributis exigendis, & in curanda republica negligentiam, difficiliora. Interim & hoc meminisse nos oportet: subditorum esse, si Principis & patriae salus periclitetur, summa voluntate non tantum

Hered. lib. 8

Plutarch. in
Caton.

cap. 22.

Laertius

Philip.
Comina
lib. 10.

Luca. 3.

Daniel. 2.

tum quidquid habent nummorum impendere, sed etiam vitam & sanguinem ipsum profundere. Quin & horum temporum ea jam est difficultas, ut non bella tantum, sed etiam qualibet rei publicae administratio requirat infinita, & ut Principes vel inviti jam sumtus decuplo majores facere, quam ante non multos annos, si rationem inire placeat, cogantur. Si quid igitur pecuniae imperatum fuit, id non dubito, quin reipublica causa factum sit: praesertim in his Germania motibus, & periculis, ad quae si imperati simus, longè maximas accipere clades facile possumus. Ad summam: hoc addere non veremur, quod utinam omnes, qui cum imperio sunt, audirent. Omnia, quae Magistratui solvenda sunt, tolerata facilia esse futura, si Principes & ferrent, & executioni mandarent leges sumptuarias: si epulas natalicias moderarentur: si impensas nuptiales minuerent: si sumtus funebres acciderent, in quibus omnibus dici non potest, quantum pecuniae non necessaria dilapidetur.

Et haec tenus quidem ea cursim enumerare conatus sum, quae CHRISTIANVS Elector in administratione reipublicae sibi facienda putavit. His verò si paucula quaedam adjecero, vela contraham, & in portum me recipiam.

Matrimonium.

Cap. 13.

Tacit. lib. 5.
Annal.

Cum itaq; probè cognitum haberet, γάμον in omnibus, quod ait auctor epistolae ad Hebraeos, esse τῶν, nec Principibus ullum majus esse praesidium, quam liberos masculos: suavis Matris illustrissimae, & amicorum sibi matrimonio junxit HEDVIGEM Friderici III. Regis Daniae & Norvegiae potentissimi Filiam, Principem omni virtutum genere praeter hos natales suos eminentissimam, & Mariti sui planè similem, nobilitate, fortunis, etate, moribus, forma corporis, & si quae sunt alia, quae in contrahendo

trahendo matrimonio spectare moris est. Ex illi sobolem nullam suscepit, quamvis ipsi filii non defuerint, cum eorum loco suos habuerit pupillas, & numero quidem 12, quos non alio complexus amore fuit, nec minori cura omnem ad pietatem educavit, quam si ex ipso nati forent. Et quidem tria potissimum fuere mala, quae CHRISTIANVS Elector, dum erat in vivis, expertus est: primum fuit praematurus Parentis obitus, secundum conjugii sterilitas, & tertium Imperatoris RODOLPHI calamitas.

MORS.

Eius enim mortem festinatam, & repentinam in malis ipsi quidem haud numerandam esse certè statuimus. Iulius Cæsar, cum inter cœnandam ortus esset sermo, quodnam mortis genus optimum esse putaret? incontanter respondit, inopinatum: idq; verum esse non negamus, modo piorum sit, & ab ignominiosa violentia disjunctum. Vna pietas facit nos beatos, siue lenta morte tabescendum sit, siue uno quasi jctu concidendum. Hanc itaq; moriendi facilitatem CHRISTIANO Electori contigisse singulari DEI munere & concessu, minimè dubitandum est. Cum enim die 23. Junii corpore sano & vegeto ludis equestribus, uti solebat, operam dedisset, vocatus à quodam aulicorum ad epulas vespertinas, eâ, quâ erat humanitate, condixit, & quo invitatus erat, in tempore lubens volensq; se contulit. Iam affederat, jam missus primus vix illatus erat: cum Princeps subito languescere cœpit, ac deficere, exceptusq; suis ab aulicis, & domũ relatus, postquam Illustrissima Conjugi vale dixisset, & presente Ministro Ecclesie, se totum misericordia divina cõmendasset, intra manus suorum exhalavit animã, & cœlestẽ in aulam evolavit, annũ agens vicesimũ octavum, adeoque natu minimus omnium, qui in familia Saxonica fuerunt, Electorũ.

Plut. in apo.

Quæ

Quae tum fuerit trepidatio per omnem urbem, quae concursatio ministrorum, qui gemitus, quae lachrymae, qui ploratus, qui planctus, ego dicendo minimè omnium assequi possum. Clamore muliebri tota aula personabat, mœrebant equites, squalabant senatores, omnis civitas in luctu versabatur, & suam hanc deplorabant calamitatem, Dominumque clementissimum desiderabant.

Hoc verò singulari DEI providentia factum credimus, quod sub initium caena Princeps optimus animam agere cœpit, ne esset adversariis, quibus calumniari est obsonium, quod criminari possent.

Hunc vitæ finem habuit CHRISTIANVS Elector, qui & ipse nobis ob oculos ponit imaginem & exemplum fragilitatis humanae, cui summi quoque Principes ubiq; terrarum sine discrimine sunt obnoxii. Quid enim? an non hoc & admiratione & commiseratione dignum? Principem aetate florentem, præstantem auctoritate, potentia & opibus affluentem, qui totus jam erat in eo, ut optimè rem constitueret publicam, & totius Imperii majestatem his è difficultatibus, quibus jam hæret implicita, expediret, cum ante pauculas horas in sublimi vectus equo, & in catadromo decurrens ab omnibus suspiceretur, tam subito inter sacramensæ hospitalis concidere, expirare, & nihil nisi triste cadaver superesse. Hos casus tragicos, & funestos si reliqui Principes sibi pingi saltem, ac fingi curarent, interq; suas, quibus multi nimium quantum sunt dediti, voluptates intuerentur: certè & metuentiores DEI, & subditis benigniores, & in omni vita cautiores erant futuri. Quod enim accedit uni, id cuilibet evenire potest,

Sen. in
Thyeste.

Et nemo tam Divos habuit faventes,
 Craftinum ut possit sibi polliceri,
 Res DEVS nostras celeri citatas
 Turbine vertit.

At

At verò cum prudentia & virtutis hoc maxime proprium sit & peculiare, pulchrè res non tantum secundas sed etiam adversas tolerare: quid in casu hoc tam acerbo & luctuoso faciendum esse putabimus, quid nam? An cum Principe laudatissimo terris obrui nos sinemus quod olim in amicitia $\sigma\upsilon\upsilon\alpha\pi\omicron\delta\upsilon\eta\sigma\tau\omicron\upsilon\tau\omega\upsilon$ fieri solebat? Id verò Serenissimos Elector non postulavit à quoquam vivus, nec sua jam post fata, quando quidem & mortuus sensum reliquum esse scimus, desiderat. An ad ferrum, ad laqueos, ad fluviorum gurgites, ad precipitia confugiemus? Minimè verò gentium. His enim à conatibus avocat nos pietas, & , qua hujus pedisse qua, malorum patientia. An defuncto sacella construemus, aras erigemus, sacra faciemus, & ferias annuas celebrabimus? In malam verò rem hac cum superstitione, qua, quod debetur soli DEO, hominibus transcribere non veretur. Quid igitur? an truncorum instar & lapidum nullo tanti mali sensu afficiemur? non dolebimus? non miserabimur? non ullum nostra $\sigma\upsilon\upsilon\pi\alpha\delta\epsilon\acute{\iota}\alpha\varsigma$ indicium faciemus? Absit verò procul à nobis, absit hac Stoicorum $\alpha\pi\acute{\alpha}\delta\epsilon\iota\alpha$, quam, nisi stultissimus quisq, nemo unquam probavit. Nos hanc fatalem calamitatem toto pectore dolebimus. & multis prosequemur lachrymis, inq, sordibus & mærore jacebimus, quod qui non faciunt, illi certè digni sunt, ut non aliud premii ferunt, quàm civis ille Romanus, qui nunciatà clade Canensi, suis ex adibus coronatus prospiciebat.

Deinde verò nostram agnoscemus culpam, & citra hesitationem fatebimur: Illustrissimo Principi vitæ finem attulisse non Stoicorum anum fatidicam, & necessitatem illam mutari nesciam: non fatalem cæli tabulam, in qua sortes hominum descriptæ sunt: non fortuitos atomorum fluxus & refluxus, non materia Elementaris instabilitatem, & formarum novandarum, quasi levitatem, quam privationem Philosophi nominant, non corporis intemperiem seu $\delta\upsilon\sigma\upsilon\gamma\alpha\sigma\iota\alpha\upsilon$, & si quæ sunt alia, ad quam Philosophorum nationes varia solent attendere: Sed potius no-

Alex: ab Al.
lib. 1. cap. 26

Proverb. 28.

stram ingratitude, & multiplicem impietatem, quæ ne semel quidem hoc Dei beneficium, eo, quo debebat, in precio habuit, nec animo grato excepit, nec illud sibi prorogari serio numen illud cæleste, quod unum bonos excitat Principes, oravit. Quia igitur mirum, si, propter peccata terra, multi sunt Principes, & rerum publicarum dævato & q̄u mutationes. Hanc ut mollissime dicamus, incogitantiam deprecabimur apud DEVM, & ut propter Filium nobis superiorum temporum delicta condonet & mentem saniozem inspiret, ardentissimis votis rogabimus.

Ad Tit. 2.

Præterea, cum peccatum sit à nobis, respiscemus, cum aberratum, in viam redibimus, cum offensum graviter, resurgemus pii erga DEVM, sobrii erga nos ipsos, & justii erga alios, ne quid gravius nobis accidat, & ne cervicibus nostris mala plura, & funestiora, qui obstinata malitia tandem est exitus, atrahamus.

Tandem verò, quidquid amoris, observantia, & subjectionis hæctenus CHRISTIANO Electori debuimus, id omne deinceps ad Serenissimum Principem ac Dominum, DN. IOHANNEM GEORGIVM Ducem & Electorem Saxonia, Iulia, Clivia, & Bergæ & c. Dominum nostrum Clementissimum transferemus, & ipsius Celsitudini hujus augustissimi muneris ingressum auspiciatum, progressum feliciorum, & exitum uti serum quondam, ita quietissimum precamur. Deniq̄, supplices veneramur & oramus: ut ipsi Spiritum firmum & Principe dignum adflare dignetur, eidemq̄ prorogare veram pietatem, curam Patriæ, amorem subditorum, placabilitatem & clementiam: tum verò largiri benevolentiam & obsequium omnis populi, pacem & felicitatem, potentiam & victoriam, sæcunditatem conjugii, & malorum expertem longævitatem.

Iam tibi, quod reliquum, CHRISTIANE ter optime
Supremum querulo dicimus ore Vale. (Princeps

Invidit

Invidit terris patrii te regia cœli
 Arque dedit superos inter habere locum,
 Hic ubi sub pedibus volitantia cernitis astra,
 Et mala, quæ noster plurima mundus habet.
 Non ibi ploratus, non morbus & ægra senectus,
 Non mors, non tenebris nox adoperta caput,
 sed DEVS in vobis. Sed lux æterna, sed ardens
 Numinis & lætus nil habiturus amor,
 Hic Pater, hic avus est, series hic longa Parentum,
 Nota quibus pieras fecit ad astra viam.
 Vive DEI coram solio, mitissime Princeps:
 Sed tua sub terris molliter ossa cubent.
 Interea nomenq; tuum, laudesq; canemus,
 Donec in hoc aliquis corpore sanguis erit.

D. O. M.
 T. L. T. H. T. G.
 I. S. S.
 A.



Pp 2

PRO-

PRORECTOR ET SE-
NATUS ACADEMIÆ JENEN-
SIS L. S. D.



QVOD PROPTER PECCATA TER-
ra multi sint Principes, id verò præter Salomo-
nem, regem illum regum, & sapientissimum o-
mnium, quot quot unquam vixere, mortali-
um, fatalis quædam harum Provinciarum ca-
lamitas intra brevissimi temporis spacium vice-
ter repetita magno cum incolarum malo, ad quod tamen multi
cæcutiunt, satis superq; demonstravit. Vix novennium abiit ab
eo tempore, quo rebus humanis exemptus est FRIDERICVS
VVILHELMVS Dux & Pro Elector Saxonica, at, ô bone
DEVS, qualis & quantus Princeps? quâ pietate, quâ equitate,
quâ moderatione, quâ Philanthropiâ, quâ tolerantia, quâ bona-
rum literarum, quarum summus erat Patronus, peritia? quem
nisi fata nobis invidissent, Academia nostra, cuius fortunam ru-
dentibus alligatam esse videmus, dudum vel tenacissimis firma-
ta anchoris, vel in portum subducta fuisset. Hunc Fratrem suum
triennio post in ætatis flore subsequutus fuit IOHANNES Princeps
optimus, & rei bene gerendæ cupidissimus, quem ut Demortuum
multis cum lachrymis omnes subditi prosecuti fuerunt, ita defun-
cti memoriam singulari cum benevolentia conservant, cum ob a-
lia benè merita, tum verò maximè quod unâ cum reliquis Filiis
indolis eximia pueris & adolescentulis generosissimis, IOHAN-
NEM ERNESTVM, Illustrissimum Principem, & Academiæ
nostre Rectorem magnificentissimum, qui non tantum exæqua-
bit majores suos, sed etiam exuperabit omni virtutum genere,
successorem & heredem reliquit His verò diebus præter expecta-
tionem

tionem nostram in vivis esse desiit (quod jam fama publica per omnem percrebuit Germaniam) Serenissimus & Potentissimus Princeps ac Dominus Dn. CHRISTIANVS II. Sacri Imperii Archimarschallus & Elector, Dux Saxoniae, Iuliae, Cliviae, & Berge, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, Burggravius Magdeburgensis, Comes Marchiae, & Ravensburgi, Dominus Ravenssteinii, qui has terras tutorio nomine haectenus feliciter administravit, Dominus noster quod non moris & dicis causa scribimus, sed jure meritoq; possumus affirmare, longè clementissimus: cujus obitu quantum vulnus, & nostrâ quidem culpa non haec saltem regiones, quarum caput ille fuit, sed etiam totum Imperium acceperit, ut iam sentiremus omnes, & seriò deploraremus. Hoc in Principe longè plura sita fuere, quàm deprehendere potuerunt homines malevoli, qui, quae in aliis bona sunt, ea κατὰ ἄποψιν oculis praeferre, quae mala, in illis ἀπὸ τοῦ ὄψεως visum defigere solent, & ex musca elephantem facere, non absimiles iis, qui in lunae maculis acutum cernere velint, & ejusdem ad fideris fulgorem prorsus caligare. Natura beneficio bonus & moderatus erat, clemens & placidus, & ab omni tyrannide, quae tamen sub augustae Majestatis, & severitatis specie nullibi ferè non rerum potitur, alienissimus: quàm ejus χεῖρ ὄρνυται plurimum auxit Illustrissimi Principis ac Domini Dn. FRIDERICI VVILHELM I, quem Tutorem, & quasi Magistrum habuit, singularis bonitas, morumq; sanctimonia, & vitae innocentia. Quamvis igitur ex instituto Bullae aureae, quae non Imperatoriâ saltem auctoritate, & diuturnitate temporis, sed etiam rationibus magni momenti dubio procul nititur, rem capesseret publicam, natus jam annos non nisi octodecim, quae aetas, cum, quod ait Aristoteles, κατὰ πᾶθος vivat, & imperita sit actionum vita, rebus gerendis minimè apta esse videtur, tamen omnium vicit expectationem, & plura se in recessu habere, quàm prima fronte pollicebatur,

batur, testatum fecit Religionis quæ omnis reipublicæ fundamen-
 tum est. ita curam egit: ut, dum vixit, nihil turbatum nostris in
 Ecclesiis exortū fuerit, nihil mutationis introductum, nihil fidei
 nova prociusum. Totos enim aversabatur illos Ecebolios, qui ad
 quamlibet auram fortuna vel melioris, vel iniquioris alia me-
 ditantur sacra, & Confessiones alias fabricantur. Imperatorem
 Rudolphum instar parentis coluit, & iis è difficultatibus, quibus
 implicari cœperat, ut sole jam occidente fieri assolet, exolvere totis
 viribus, non sine sumptibus maximis, non sine gravissimis pericu-
 lis, non sine amicorum suspicionibus, non sine adversariorum odiis
 conatus est: ut faceret illud, quod fieri jubet Petrus: Time Deum,
 Regem honora. Publicæ quietis & pacis quàm studiosus fuerit, ut
 de aliis rerum turbandarum occasionibus nihil jam dicamus, u-
 na caussa Iuliacensis testimonio esse poterit, in qua, licet non de-
 essent homines sanguinarii, qui oleum camino affunderent, & spe-
 rerum amplissimarum classicum canerent, ac potentissimas inter
 se committere familias conarentur: tamen moderatiora secutus
 consilia agnatis cum Principibus amicè transigere maluit, quàm
 ad arma prosilire, & jucundo cum hostium spectaculo innocenti
 sanguine Germaniam respergere. Ius & æquum omnibus, dum
 hic Princeps ad reipublicæ clavum sedit, administratum fuit: nec
 id quidem erat factu difficile in tantâ summorum virorum, quos
 secum habebat, frequentia. Nullis regionibus, & Principibus
 nullis quidquam derogatum volumus: sed interim tamen illorum
 non aspernamur iudicia, qui palàm testari non verentur: vix
 ullam esse Germania partem, cui viri præstantiores consilio &
 auctoritate sua præsent, quàm has Saxonicas & Electorales Pre-
 vincias. Tam liberalis fuit, & beneficus, ut iis, qui virtutes
 Principum augustius suorum ingeniorum metiuntur, excedere
 modum, & nimium dando gaudere videretur. Hæc igitur o-
 mnia, cum certis certiora sint: Principem optimum, & Patriæ pa-
 rentem fidissimum non sine maximo totius Imperii, & harum
 terra

terrarum dispendio nos amisisse, quis est, qui negare audeat? Se-
 ptem potissimum columnis Imperium Germanicum sustinetur,
 quarum cum hac una convulsa sit, & eversa, & illa quidem fir-
 missima: planè delirant, qui hujus aedificii molem non nutare
 putant. Nostra verò patria quantum detrimenti allatum sit,
 ut vulgus hominum ignorat, ita prudentiores magno cum dolo-
 re sentiunt, & deplorant. Quid igitur nostri jam esse officii pu-
 tabimus, quid nam? Primum nostra & agnoscemus, & profitebi-
 mur peccata, quae ad veniam prima via est, & semita maximè
 trita. Nos sumus, ò CHRISTIANE Elector, qui vite tuae fi-
 la nostra ingratitude praesecimus: nos sumus, qui fata tibi
 acceleravimus: nos sumus, qui tantum his terris conciliavimus
 periculi, & mali attraximus. Tum verò Deum Optimum Maxi-
 mum, qui nihil seipso majus habet, quàm suam misericordiam,
 ardentibus votis precabimur, ut quod vulnus serenissimi Electo-
 ris obitu nobis infligit, clementissimè sanare velit, & vindicta
 gladium oleo commiserationis exacuere. Quin & hoc pietatis,
 & debite subjectionis officium nobis incumbit: ut non tantum
 in luctu, & mœrore versemur, sed etiam moribus, & vita exte-
 riori, quàm hoc inopinato casu animi nostri dejecti sint, & exulce-
 rati declaremus. Capitis dolores & cordis angustiae totum corpus
 tremefaciunt: & Principum res adversa subditos non tangunt,
 non afficiunt, non percellunt? Quapropter jussu & mandato Illu-
 strissimi Principis ac Domini, D. IOHANNIS ERNESTI
 Ducis Saxoniae, Iuliae, Cliviae, & Bergae, &c. Magnificentissimi
 D. Rectoris, Domini nostri clementissimi, & utriusq; Aulæ Re-
 giminum, omnes Academiae nostrae cives fide, & diligentia sum-
 ma, qua possumus, hortamur, ut effusam illam, quae jam passim inole-
 vit, hilaritatem interquiescere sinant: ab epulis, & convivio sibi tem-
 perent: exercitiis Musicis, quae suo tempore minimè improbanda, silen-
 tium indicant: & imprimis a turbis & clamoribus nocturnis prorsus
 abstineant.

abstineant. & sua erga Illustrissimam Domum Saxoniam, qua
 hoc casu planè afflictà jacet, supradictis documentum edant:
 quod Illustrissimis Principibus gratissimum, Academia nostra
 honorificum, & nobis ipsis planè fructuosum est futurum. Deum
 oramus, ut nostri misereatur, & turbidam hanc tempestatem,
 qua toti Germania impendere videtur, tranquillet, ac sub serenif-
 simo Principe & Domino D. JOHANNES GEORGIO Duce
 & Electore Saxonie &c. cui rem aggredienti publicam fausta
 & felicia precamur omnia, speratam nobis serenitatem, & pacem
 nunquam desituram clementer largiatur, P. P. die 7. Julij,
 1611.



EPIGRAM.



EPIGRAMMATA EXSEQUIALIA SU-
per præmaturum & luctuosum obitum

ILLVSTRISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,

Dn. CHRISTIANI II.

Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium Ducis, S. R. I.
Archimarschalli & Electoris, Landgravij Thuringiae,
Marchionis Misniae, Burggravij Magdeburgi, Comi-
tis Marchiae & Ravensp. Domini
in Ravenstein:

*Dresdae 23. Junij Anno 1611. pie defuncti & Friberga Her-
mundurorum 4. August. maxime memorabili solen-
nitate ad Majores collecti,*

Debitæ *opum thesauri* & humilimæ animi subjectionis
gratiâ conscripta & exarata.



UOD reliquum fuerat probitat is forsan in
orbe,

Depositum in CHRISTI funere JANE
tuo est,

Et veræ pietatis amor; reverentia summi
Principis; & populi cura paterna tui.
Siccine delicias mundi nostrasque perire
Ut morbo mortis sit mala fama prior?

Qq

Errores

Errores, populi Dominorum morte piantur
 Quod grex peccavit, Rex pius ipse luit.
 Fortunate jaces Princeps; tibi namque negatum est
 Cernere quæ miseros nos mala multa manent.
 Sit tibi terra levis, Dominiq; in pace quiescas,
 Donec in adventum, Christe benigne, tuum.
 Tunc iterum electos inter fulgebis ut astrum,
 Regna tibi Christus parva cruore dabit.
 Interea angelicas inter Divasque cohortes
 Gaudia, quæ nullum cor meditetur, habe.

*Marcus Gerstenberger Sereniss^o Electori
 ab intimis Consiliis.*

I D Y L L I U M.

Vide itinere-
 nerarium
 Lindtscho-
 mani.

SOLIS in occidui medio jacet aequore FERRO
 Insula, quæ fluvijs, fonteq; tota caret.
 Vna illic lacrymis fluit unda perennibus Arbor,
 Indigenisq; suas læta propinat aquas.
 Undiq; suppositis plebs barbara confluit urnis,
 Cymbiaq; arboreo cuncta liquore replet.
 Arbor in Imperio, multum preciosior ista,
 Est, magis, heu nequeo dicere, dico Fuit.
 Quæ caput attollens ad sydera, desuper Umbra
 Grata fuit populis grata fuitq; feris.
 Hæc etiam folijs, ramis, ac stipite toto,
 Substilli exudans undiq; roris erat.
 Vnde sitim adproperans gens incola & extera stinxit,
 Et lympham impletis abstulit urceolis.
 Nec minus hæc illa fuit unda salubrior unda:
 RUTA etenim proprijs hanc medicarat aquis.

Nec

*Nectibi, Rex avium, fuit hac incognita, sepè
 Auxiliatricem qua tibi fudit opem.
 Æternum in terris nihil est: Parca invidia flammis
 Sæpius hancq; alijs tollere tentat aquis.
 Non potuit: Tandem latebrofa per avia terræ
 Ferali fibras Parca ligore secat.
 Altricesq; auffert succos; Viror omnis, & omnis
 Vis abit, atq; Arbos arida facta cadit.
 Quotquot eam nôrant, tot eam planxere cadentem,
 Indigena atq; suis extera gens lacrymis.
 Ante alios, D E A juncta i thoro, carissima, clamat,
 Arbor in Elysiis rursus habenda, Vale.*

VESPERAE JOHANNÆ ET ANNI
 CLIMACTERICI TERTIUS ET
 QUARTUS.

*CVM meus Elector vitæ climata terna
 Septimaq; æthereâ jam superasset ope:
 Sionis in supero statuit mea, vertice montis,
 Hacce triumphali Musa Tropæa manu:
 Victor Abantiades superaverat ense Draconem,
 Bellerophontæo fortiter usus equo.
 CHRISTIANVS Princeps, quoq; sustulit, Enfiger, anguem,
 Nec minùs ignivomum, nec minùs undivomum.
 Ter septem versans qui longo sirmate gyros,
 Tam sacrum clauso prenderat ore caput.
 Illius effusos ignes evasit & undas,
 Iamq; suo populo vivit & Andromeda.
 Queritis arma, quibus fuit hac superata Chymæra!
 Martia non fuerant arma, fuere preces.
 Quin quoq; septenum & post quartum clima peractum,
 Tale genethliacum jam meditabar epos.*

Q 2

Omina

23. Sept.
 1604.
 at. 21.

Serpentis
 pictura cau-
 dam ori in-
 ferentis, ve-
 teres Aegy-
 ptios annū
 & tempus
 repræsen-
 tasse, Hora
 pollo testis
 est. Et de
 Tēpore pul-
 cre Seneca
 Troad. Tē-
 pus nos avi-
 dum devo-
 rat.

Omnia nec deerant bona precedentia: Fratris
 Bis repetitus^a Hymen, b Prole beatus Hymen.
 Et cum Francicolâ dulcis conjunctio c R V T A
 Stirpe & amore pari, Relligione pari.
 Atq; Sororis honos utriusq;, vel illa, vel illa,
 Ut sociata Deo^d est, ut sociata viro^e?
 Caesaris alloquium duplex f: Concordia^g F R A T R V M
 Decreta, & populis libera Relligio^h.
 Caesarisⁱ eg; manu, data Iulia, Clivia, Montis
 Feuda novis titulis, feuda novis clypeis.
 D R E S D A q; fraterno conjunctos vidit amore
 Imperij calamos, k Imperij gladios.
 Pulsa q; l qua voluit committere, Iulia Erynnis,
 Pomigeram; Ensigeram; Sceptrigeram q;, domum.
 Ac tot amicitie Regum; Archiducum q;, Ducum q;
 Et cum Pace, ratum Relligionis opus.

Mulhusij 7.
 Julij 1611.

Sancta Electorum restabat agenda Dieta,
 Vi suus Imperio restitueretur honos.

- a Domini Ioh. Georgij El. & Ducis Sax. cum Elisabetha Sibylla
 VVirtebergica celebratae Dresdæ 16. Sept. Anno 1604. Et cum
 Magdalena Sibylla Brandenburgica, Torgæ 19. Julij 1609.
 b Sophia Eleonora nata 23. Novemb. 1609. Et Maria Elisabetha na-
 ta 22. Novemb. 1610.
 c Dresdæ 24. & 25. Febr. Anno 1609.
 d Dorothea Ducissa Sax. initiata in Abatissam Quedlinburg. 19.
 Junij 1610.
 e Sophia Ducissa Sax. nupta Francisco Duci Pomer. Dresdæ 26. Au-
 gust. Anno 1610.
 f Mense Junio Anno 1610.
 g Inter Cæs. Rudolphum & Regem Matthiam.
 h Intercessio facta pro Bohemis & Austriacis.
 i Pragæ 27. Junij Anno 1607.
 k Elector Moguntinus visitavit Elect. Sax. 17. Sept. 1601.
 l Intreboci 20. Martij 1611.

Naumbur-
 gij 15. 7br.
 1611.

Inter & Agnatos successio pacta novanda,
 Fratris & AVGVSTI Nympha locanda thoro.

Heu

Heu letis quàm vana fides! Dum talibus orsis
 Dedita mens faustis gaudet in auspiciis.
 Mæsta Iohannæi procedit vespera Festi,
 Natalem ante diem rursus & Anguis adest.
 Callidus hic gyris septem auctus, repit in artus
 Inventusq; in ijs Ignis & Vnda fuit.
 Innocuumq; caput properè sustollit, & extra
 Quæ deerant, intus fulmina mortis agit.
 Sic prius evasit quæ Dux, oppressus iisdem,
 Mortuus est populis Andromedæq; suæ.
 At nos ô miseri cur, ista, prioribus armis,
 Non iterum à nobis victa Chymæra fuit?
 Ah cur non nobis, si mens non læva fuisset,
 Suspecta hæc rediens Vespera semper erat?
 Ah circumspicimus, ne nos externa trucident:
 In nobis ipsis, quò moriamur, adest.
 Transit in objectam sic nostra ignavia culpam,
 Quodq; prius poterant, non potuere preces.
 Stat sua cuiq; dies: Mors demetit omnia falce:
 Quosq; prius texit purpura, tumba tegit.
 Ergò DEVS nostra si claudit climata vitæ
 Seriùs aut citiùs, nostrum erit obsequium.

S U S P I R I U M.

DV M sumus in mundo, non mundi vivimus, & nos,
 Quæ nos è mundo subtrahet, hora latet.
 Quando itaq; incauti ingredimur, procul esse putantes,
 Ecce tamen subito Mors inopina venit.
 Exspirem sine spe? Non: Suspirabo precando,
 Corde DEVM, nequeo si magis, ore DEVM.
 Cum furor in cursu est, ne me DEVS argue, ne me
 Pro meritis iræ plecte furore tuæ.

Q 9 3

Tunc

27. Iunii
Anno 1611.

Tunc si dulce tuum nomen, dulcissime IESU,
 Ultima vox oris vox quoque cordis erit:
 Hæc voce, ad Boream, seu fiat casus ad Austrum,
 Sic suspirantis, non malè casus erit.
 Factum ita, facta etiam suspiria talia: tantum
 Fusa Fide ad CHRISTVM vox pretiosa potest.

EXSPIRIUM.

NOX erat, & noctis decimam properabat ad umbram,
 Horarum fuscis Cynthia vecta rotis.
 Protinus undique, & undique, & undique, fornice, aperta, est
 Omnis in aurato facta fenestra poli.
 Exerere caput, magna pravaque cohortes,
 Sideraque ethereos instituere choros.
 Audita Harmonia est: DVX ENSIGER EXPIRAVIT,
 Reddidit atque DEO, quod fuit ante DEI.
 Excepere animam plausu, caeloque locarunt
 Inter & Heroes indigetesque animas.
 Plauditur usque diem: pluvio superadvenit ore
 Dramaque sidereum Cynthia ipse fugat:
 Demittensque imbres, toto sic intonat axe:
 Gaudia quanta polo, tristia tanta solo.

ITER MULHUSINUM.

QUOD proponit homo, DEVS hoc disponit, & omne
 Illius arbitrij statque caditque modo.
 MULHUSIVM, Imperij properat Dux ensiger ire:
 Suaserat Imperij & Caesaris illud honos.
 Longè aliud moriens itiner properanter inivit,
 Divinus CHRISTI jusserat illud amor.
 Sic Electorum hinc Elector iturus ad agmen,
 Verè Electorum regna beata subit.

DEPOSITUM IN CISTAM
LIGNEAM.

Ad Sylvas prope Albim.

ALBICOLÆ sylvæ, quarum gratissima semper
Et Domino & Domini lusibus umbra fuit:
Seu placuit trepidos agitare in retia cervos,
Aut cadere adversâ cuspide fossus aper:
Qui, ne vos furum serra aut injusta bipennis,
Aut flamma, Alcides, laderet, alter erat:
Arbor an è vestro hæc prognata est filia partu,
Asseribus Domini quæ tegit ossa suis?
Sive Abies, Quercus, Fagus, nodosa vel Flex,
Ornus &, aut levis Fraxinus illa fuit.
Infelix Arbor, tam mæsti tanta subire
A Fato data cui fata ministris.
Et felix arbor, Domini custodia tanti
Cui data, cuiq; suus cum Domino tumulus.
Imò sacrata arbor, Domini quæ continet ossa,
Sacra DEO atq; olim vivida facta DEO.
At vos ô sylvæ producere talia posthæc
Parcite tam scævi pignora servitij.

DEPOSITUM IN CISTAM
STANNEAM.

Ad Altenbergam.

QUID nigros lapides, pyriten, quidvè Galenam
ALTENBERGA tuis extrahis è specubus?
In quæ se fixis pariterq; fugacibus alis,
Cum pauco inclusit Sulphure, Mercurius.

*Ut niveo fiat plumbi inde colore metallum,
 Quod vulgò stanni nomen habetq; Iovis.
 Ex quo defuncti pro principis artibus, ignis
 Fudere auxilio sarcophagum artifices.
 Sic decuit: fragile est imperfectumq; metallum
 Stannum, sic causâ progenerante suâ.
 Nec potis est vitium hoc auferri, qui tamen illud
 Auferet, accipiet gaudia, Geber ait.
 Imperfecta etiam est, fragiliq; humana propago
 Carnis, ut & nostri mortua membra Ducis.
 Nemo potest hominum vitium hoc auferre, sed unus
 Auferet extremâ CHRISTVS id ipse die.
 Sic imperfectum: Tunc perfectum atq; resectum:
 Stannea cista capit: Stannea cista dabit.*

**ITER FRIBERGAM,
 ad Sepulturam 5. Aug,**

IRE metallipara FRIBERGÆ ad castra parabat
 CHRISTIANVS princeps, cum sibi vita foret.
 Interrupit iter Mars: fertur mortuus illuc:
 Heu quantas ruptum spes quoq; rupit iter!

**TUMULUS I.
 FRIBERGA.**

AES, Argentum, Aurum, FRIBERGA è divite gazâ
 Promit, at heu spoliū diripit illa Ducem.
 Aerea FREIBERGA es: ventri tua conde metalla,
 Si spoliū renuis reddere, cuncta negas.

**TUMULUS II.
 AMOR DEI.**

Tantum

TANTVM in amore DEI flagrabat pectore Princeps,
 Vllus homo flagrat quantum in amore DEI.
 Quod cum sciret Amor divinus, pectus amatum,
 Ne quondam raperet Mundus amore sui:
 Tam cito surripuit: Sed ne forte invida tellus,
 Tali illi voluit participare modo:
 Nucleus hic meus est caelesti e semine, dixit,
 Terrenum ad tempus tute putamen habe.

TUMULUS III.

AMOR CAESARIS.

CAESARIS in digito qui fulgurat annulus auro
 Imperij, huic Adamas insinuandus erat.
 Se dedit in vacuam, CHRISTIANI SAXONIS ultrò,
 ENSIGERI, palam, ZOPYRIANA FIDES.
 Alter in alterius juncti splendore refulsit,
 Annulus orbe suo, fulgure gemma suo.
 Demicuit tandem hic Adamas terraq; revulsus,
 Factorum à duro est nunc Adamante datus.
 Amissam indoluit gemmam, gemmaeq; micantes
 Augusto, radios, CAESAR & ore refert:
 Non moritur virtus, celebrabere, SAXONIS, olim
 ENSIGERI, pro me ZOPYRIANA FIDES.

TUMULUS IV.

AMOR CONJUGIS ET FRATRUM.

CONDITIONE hoc tumulo pars corporis altera tantum
 CHRISTIANI, sed pars altera viva manet.
 Nempè thori consors fida HEDVVIGIS, una duobus
 Quaeis caro, & unus amor, mens eademq; fuit.

R r

Et

Et patrio vivunt ambo de sanguine fratres,
 Concors quos fido glutine junxit Amor.
 Qui nunc cum lacrymis, fiunt Fratri atq; Marito,
 A mæstis comites ad tumulum exequijs.
 Ergò CHRISTIANI quoq; nunc pars altera vivit,
 Altera pars tantum conditur hoc tumulo,

TUMULUS V.

AMOR PACIS ET PATRIAE.

AN Pacem aut Bellum malit, Gens Pœna, rogante
 Romano, hoc patriæ legit ad exitium,
 Non sic CHRISTIANVS patriæ Pater: Optima belli
 Causa erat, at Pacem maluit ille bonam.
 Hancq; suæ Patriæ moriens reliquit, at ista
 Pro meritis tumulo dedicat has Oleas.
 Addidit & titulum: PEPERIT QVIMVNERA PACIS,
 PACIFICI AETERNO NOMINE SEMPER OVET.

VI.

AMOR MARTIS TURCICI.

Bellipotens, Martisq; soror, rutilantibus armis
 Bellona, hos tumuli condecorate toros.
 Thoraces, hastas clypeos, lunataq; signa,
 Et Scythicas clavæ, truncaq; tela date.
 Afflictusq; solo sit Turcus acinacis impos,
 Vinclaq; nexa alijs Tartarus ipse ferat,
 Turcorum terror, spolia hæc, KOLONITZIVS HEROS
 SIGFRIDVS forti cepit ab hoste manu.
 Et quod non potuit presens, sed maluit absens,
 Has Domino & Patri consecrat inferias.

*Vt sciat hoc seclum veniens, sine, SAXONIS, arc,
 Milite, tormentis, auspicioq̄, DVCIS,
 Non in Pannonio, Christiani nominis hostes
 Contra Othomanigenas, bella fuisse solo.
 Strigonium testis, Faurinum, Regis & Alba,
 Et loca quæ trepidis alluit Ister aquis.
 Pro CHRISTO fuit hoc bellum & pro CÆSARE gestum:
 Ergò decent nostrum Martia signa Ducem.*

VII.

AMOR MUSARUM.

*NOS quoq̄, Pierides, imbellis turba, Patrono
 Adsumus, & dignas imus ad exequias.
 En lacera vestes, disjecti ex ordine libri,
 Mæstaq̄, continuis fletibus ora madent.
 Non nos sistra juvant, cytharæq̄, lyraeq̄, sonantes,
 Nec juvat auratâ promere verba chely.
 Noster honos etenim, tutamen, verus Apollo,
 CHRISTIANVS princeps lumine cassus obit.
 Illius ad tumbam, cytharasq̄, lyrasq̄, sonantes
 Ponimus, at rata huic sit sacra nostra chelys.
 Chartæane vivi contemnite munera nostra:
 Chartæa in æternum vivitur historiâ.*

TUMULUS VIII.

Clementia erga exules Evangelicos.

*FELIX qui miseri verè miserere, vicissim
 Eripiet cunctis Te DEVS ipse malis.
 CHRISTIANE, Imperium, geminos cum traderet enses.
 Patriaq̄, in digitos Sceptra paterna tuos.
 Nos alibi expulsi Latij CLEMENTIS ob iram,
 In verum CHRISTI quæ fuit ira gregem.*

Rr 2

Ivimus

Mandat.
elect. 4. Fe.
r. 1603.

*Ivir s Exilium: Tu nos, mitissime Princeps,
Suscipis hospitio: suscipis auxilio.
Tros Rutulusvè siet nullum discrimen habendum,
Nos inter, mandas, indigenasq, tuos.
Subq, tua Rutæ benè viximus hætenus umbrâ:
Gratia pro meritis qua referenda tuis?
Nil opus: ô felix miseri miserate, vicissim
Eripuit unctis te DEVS ipse malis.*

E P I T H A P H I V M.

CHRISTIANUS PRINCEPS ELECTOR
SAXO SECUNDUS
PACIFICUS, CLEMENS, PIUS, ET PRO-
BUS, ATQUE BENIGNVS,
IN CRYPTA CVBAT HAC: DATE CAN-
DIDA LILIA CRYPTAE.

Sereniss. Electoris, Dn.

JOHANNIS GEORGI, Ducis Saxoniae, Ju-
liae, Cliviae & Montii, &c. 7. Augusti Dresdam reditus,

VIDIMVS heu tristem lacrymas planctusq, per urbem,
Vidimus heu tremulo funus obire pede.

Vidimus atrato lugentes ordine circum
Heu tacitas longâ verrere veste vias.

Sic obitus Domini voluit, sic maesta tulere

Tempora, CHRISTIANI tristia morte Ducis.

Sit tamen in luctu modus: EN NON DEFICIT ALTER
Frater, & in magno spes animosa DEO.

Vidimus auratum ut gladium Papenhamius Heros

Traderet, ELECTOR IANE GEORGE, tibi.

Vidimus

Maxim i i
nus L. Baro
i Pappen-
heim S. R.
I. heredita-
rius Mare-
f. 1100

Vidimus ut tacito te Dresda receperit astu
Letitia, radijs exhilarata tuis.
Maecte novus Pollux defuncto Castore fratre!
Maecte novis gladijs, maecte novo imperio!
Sic DEVS & Caesar iussit, sic patria, sanctus
Sic Electorum constituitq; chorus.
Vive in amore diu patriæ, atq; in amore fideq;
Cæsaris, ut q; queas, vive in amore DEI,
Sic quæcunq; DEO, patriâ & pro Cæsare gestis
Efficere, efficies prospiciente DEO.
Sic tibi posteritas sit mascula, & inclytâ pergat
MAGDALIS innumerâ prole bearethorum.

Johannes Seussius Secret. Elect.
 Saxon.



D E

Rutâ Saxonicâ;

Non ita pridem τριφύλλω;

Iam verò διφύλλω,

IDYLLION:

RUTÂ tribus foliis modò conspicienda virebat,
 Ruta vel omnigenis anteferenda rosis;

R r 3

Marchia

*Marchia quas laudet riguis uberrima campis,
 Quasq; Palatini jactitet ora soli.
 Horum floridius primævi Consitor horti
 Decerpit, sedes collocat inq; suas.
 In Paradisiacas sedes, ubi turbine pulso
 Irrorat germen molior aura novum.
 Reliqua flaccescunt duo languidiora; colorem
 Subflavum solitus contrahit indè viror.
 Horti sed Præses Rutam qui curat, & unum
 Multiplicis folium germinis instar habet,
 Decerptum fovet areolâ meliore: relictas
 Imbuit at grator rore madore comas.
 Altera pulvino sic Planta potita beato
 Vsq; viret: reliqua duplici rore vigent.*

Et

Pro Ruta *διφύλλου*

V O T U M:

Summe DEVS, rerum Servator, Conditor, Autor,
 Undè Creatorem qualibet herba probat;
 Cui numerus placuit binus vel primitus: ornant
 Lumina bina polum, corpora bina solum:
 Germina Saxonicæ junctissima germina Rutæ
 Postmodò celesti bina liquore riga.
 Non illi noceat spinis Paliurus acutis,
 Colchicon aut plantas exitiale premat.
 Aeternùm vireat, folio de stirpe revulso
 Succrescant Rutæ germina mille sua.
 Sicut tua turba tuam Sacris sub tegmine Rutæ
 Dedita constanti laude feremus opem.

M. Caspari Krautstengel Urspring. Fr. Ecclesiæ
 Hermansdorf. pastoris.

Θεῶν

Θεῖνος RELIGIONIS.

O CHRIST-IANE Pater Patriæ, celsissime Princeps,
O cur ME miseram deseris ante diem?

ME miseram tanto cunctarum in turbine rerum
Deseris? ô cur me deseris ante diem?

Quis mihi nunc lacrymas tam celso funere dignas,
Quisve mihi in lacrymas lumina sufficiet?

ALBI meis lacrymis properè tua flumina junge,
Ut deflere satis funera celsa queam.

Tuq; meis superadde tuos, GERMANIA, fletus,
Fas quoq; maestitia te dare signa tue.

Nam quantam unà amba jacturam fecimus, eheu,
Non ego, non tu, sed Fama loquetur anus.

Patrem, qui proprijs te plus dilexit ocellis,
Prò dolor eripuit Mors inopina tibi.

Ast ego quid misera amisi non dicere possum,
Sic damni sensus terret imago meos.

Ille mihi tutum, dum vita manebat, asylum,
Ille mihi summi Numinis instar erat.

Ergò age funereum simul instauremus honorem,
Solvamusq; pijs manibus exsequias.

Pro meritis PATREM tu digno conde sepulchro,
Et mandata tibi molliter ossa tege.

Ipsè ego, tam charis superaddens marmora bustis,
Incidam Latijs posthuma verba notis:

Hic Dux & Lux Saxonix; Pietatis asylon;
Pacis præsidium; Justitiæ columen;
Romani fulcrum Imperij; Germanidos oræ
Munimen; sæcli delictumq; jacet!

Sic hunc sera dies memori non eximet ævo,
Sic virtute sua premia digna feret.

M. Caspare Hœflero P. L. interprete.

Occidit

OCCIDIT ELECTOR-SAXO, heptaeterida quartam
 Fatalem qui non pertigit ante diem.

Ista via in terris videatur parva: profecto
 Laudibus aeternam reddidit IPSE SIBI.

» Vita suas actū, non fuit tempore metas:

» Nec faciunt anni, sed benefacta senes.

» Quod tetegit summum, se culmine terminat ipso:

» Nec mora perfectis carcere grata soli.

Vivus adhuc fungensq; hominem, caelestis haberi

Debuit: usq; adeo numine plenus erat.

Depositum caeli nullā remoremur habenā.

Qui Caput hoc nobis abstulit, ille dedit.

Quantum quisq; suis; sanctis his Manibus optet,

Sic aliquā solvi gratia parte potest.

I I.

Lacruma justa tibi, D R E S D A, & justissima caussa est,
 Quum nequeat tolli lacruma, caussa potest.

Magna ELECTOREM jactura amittere letho

Nulla est, in DOMINO querere FRATRE Parem.

I I I.

LAUS ELECTORIS cur non incisa sepulchro?

Quod caperet, tantum nullibi marmor erat.

Hec Mausoleum vincit tamen Vrna superbum,

Illud quippe foris; hac decus intus habet.

S. CYPRIANVS MARTYR
 libro de Mortalitate.

Hoc fuit placuisse in conspectu DEI, de hujus
 seculi contagio transferri.

Autore Matthæo Zuberò, P. L.

Misnia



Isnia luge; MISNIA luge; Misnia luge!
 Causa doloris adest; causa doloris erit:
 Causa doloris adest: (dolor, heu dolor, heu dolor
 ingens!)

IRA DEI OFFENSI, vindicis ira DEI.

Amisisti etenim (dolor, ô dolor!) amisisti

Ecce! tu Imperij MISNIA mœsta CAPUT.

O dolor! ô lacrymæ! decus & pars Summa verustæ

Gentis Saxonicæ heu! occidit ante diem.

Quamvis, qui CHRISTI decedit sanguine lotus,

Non obit ante diem: sed venit ante DEUM.

HVNC DEVS invidit Mundo, in Cœlumq; recepit,

Christianis nam mors Vitam inopina parit.

O fleat! atq; iterum fleat aulica turba dolorem,

Quem MAGNI effecit mors inopina DVCIS!

Saxonis ora suæ tristissima tempora vitæ

Deploret, multis tempora fœta malis!

Et meritò, quis enim tristi hac non morte rigaret

Lumina, quis fletu temperet & gemitu?

Hinc abiit citus heu! SAXO Illustrissimus HEROS,

CHRISTIANVS, veræ Religionis amans:

Romani hinc abiit firmissima DEXTERA REGNI,

Et quoque Saxonicæ firma Columna DOMVS,

Hinc abiit PRINCEPS prudens & pectore constans;

Qui veniæ facilis, qui decus omne fuit,

Qui FONS semper apertus erat, nunc Morte perennem

Lucratus VITAM, nobile fœnus agit.

Qui formâ egregius PRINCEPS, vultu ipse Apollo,

Hujus nunc CORPVS vermibus esca jacet.

Qui modò semideus, fortis Tyrinthius ausis,

Fit Patriæ PATER & tanta CORONA cinis.

Damnum est, sic tolli TALEM de morte Dynasten:

Durum est, illacrymor! vulnera tanta pati.

Nam CAPVT eximium PATRIÆ, cau falce resectum,

Scæva repentino mors necuit jaculo.

Causa doloris erit: Prudens agnoscit; & Ipse

Cordolio (heu! subito hoc exedit omnem animum.

Ss

Nam

Nam Domus ut casum ruibunda minatur acerbum,
 Cum undiq; & undiq; & hinc fortia fulcra cadunt:
 Publica sic quoque RES, cùm TANTA STATVMINA mortis
 Falce reciduntur, debilitata labat.
 Communis nobis dolor hic; quis pectore fundat
 Non imo fletus? causa dolenda subest;
 Commune hoc damnum, hoc naufragium & grave damnum,
 NAVARCHO hoc rapto, Parca quod atra tulit!
 Lugent Saxonicae viridantia Germina RUTÆ, &
 Funeris hac fiunt pallidiora diè.
 Saxoniae Proceres lugent; quoque Saxonis ora
 Non cessat tristes imbre rigare genas.
 Tempa Scholæque simul lugent, plebs & miseranda
 Luget conspectu Principis orba sui.
 Aula quoque hæc sentit sua damna, haud reuiva damna;
 Sentit & ah! damnum Curia luctificum.
 Cuncta dolore jacent, extincto hoc Principe CELSO,
 Mors cuius meruit Cæsaris esse dolor.
 Qui meruit meritò multos superasset ut annos,
 Munera pro meritis non-peritura capit.
 Sed quorsum lacrymæ? cessit novus incola Cæli,
 Cælo dignus erat; vivere dignus erat.
 Esto modus tandem, nihil indoluisse iuvabit:
 Nullis mors precibus flectitur, aut lacrymis.
 Huic mors hæc lucrum est, non mors, sed vita & in ILLA
 Perpetuata dies, grata & amica quies.
 Esto modus tandem. nam Sors sua cuiq; ferenda est,
 Nemo hominum qui non sit moriturus, erit.
 Qui infligis vulnus durum, medicaris & IDEM,
 Qui exanimas, animos reddis & IPSE DEVS,
 Eluge GNATVM SOPHIE mæstissima mater,
 Quod voluit, FECIT IOVA in eo officium.
 Eluge HEDVVIGES, stirps Regia, squallidæ luctu,
 Spe freta hæc: SVRGET CONTVMVLATA CARO.
 Juncta licet caro & citò dissociata MARITO;
 Inviduo at CHRISTO es non-viduata toro.

Elugete.

Elugete sat est; Fratrura duo Pectora FRATREM,
 Omnibus hæc mortis namque terenda via est.
 Et vos Saxonidum mollissima Corda SORORVM
 Elugete, DEO sic placuisse, sat est.
 Non nobis vixit sat; sed sibi vixit abundè:
 Sat, benè qui vixit, vixit & ille diu.
 Vixit, dum vixit, Domino, denatus eidem est,
 Fixerat HOC SOLO spemque fidemque suam,
 Jamque spei fideique suæ super æthere finem
 AÆternæ vitæ templa beata tenet.
 Ornatusque caput non-marcescente Coronâ
 Gaudia degustat mille, quis invidet?
 Quis modò vela dabit, quis & heu! modò flaccida vela
 Rectore hoc pandet pol! viduata suo?
 Ecquis Saxonis contractis denique rebus
 Consulit? O clemens suffice quæso DEVS!
 His, bone CHRISTE assis assis, Tu suffice vireis,
 Cœlitus inspiret Spiritus ille tuus.
 A te, CHRISTE, venit, bonitate tuâ inque quiescit
 Optimus auxiliij consilijque labor.
 Et Tu Saxonice SPES maxima JANE-GEORGI,
 RUTAE vive diu, Saxonidumque Salus.
 TVQ; AVGVSTE vire non ultima gloria TERRAE
 Saxonice, AVGVSTVM redde potenter AVVM,
 Dijque dunt RVTAM qui vellere-cunq; virentem
 Ausit, victrices sentiat ille manûs.
 Quod superest tandem, DEVS omnibus roboris ILLE
 Roboret auxilio languida CORDA suo.
 Lætitiæq; dator, TU CHRISTE, dolentibus assis,
 Dividuisque Comes fidus eas VIDVIS.

*Georgius VVinckelmannus
 Dresd.*

EX quo mense, piè CHRIS TI Dux alter JANUS

Occidit, Elector Saxonixq; caput:

Miraris: cur sic, æstivo tempore, densus

Non intermissis decidat imber aquis?

Sol oculus mundi se cur sic nubibus abdat?

Cur nobis rosei luminis ora neget?

Desine mirari: non hæc sine Numine Divo

Eveniunt: paucis hæc lege, certus eris.

SAXONICO Capiti se qui subjecta fatentur

Membra: caput postquam concidit ante diem:

Debuerant atris incedere vestibus omnes,

Et luctus certi publica signa dare,

Et commune malum miserari, turpe fateri:

Tales, aut similes edere voce sonos.

ROMANI REGNI Sacer ô auriga Mysorum

Currus, Juliaco debita Ruta solo:

Octavus Tibi vix iniit vigesimus annus,

O non sperato funere sic né cadis?

Sic né tuos linqvis tanto sub tutbine rerum?

Quantum non ætas audiit ulla prior:

Mars cum peste, fames & quidquid triste timendum,

Ante pedes nostros excubat, ante fores.

Nostra Tuam res omnis opem desiderat: unus

Patris ad instar eras: Optime Dux ubi, ubi es.

Nos peccando, DEI Legem transivimus omnes,

In vetitam flecti cerea turba viam.

Hinc commota gravis divini Numinis ira:

Ingruit hinc in nos plurima virga reos,

Mors Tua sola fuit mors nostris debita culpis,

Unum pro multis sed caput ecce datum.

O Flos SAXONICÆ RVTÆ, Flos Prime Parentis,

O Flores ex Te gignere Digne novos.

Laudatos annos excedere Digne Tuorum,

Patris habet quos & linea Matris avos,

RUTA jaces, cujus sese recreavit odore,

Pressa malis varijs curia, templa, Scholæ.

Quam

Quam nostro, contra fera toxica, trivimus ore,
 Usq; adeò grato germine; RUTA jaces.
 Sic bona sæpe suis primis moriuntur in annis:
 Sed numeros implent sic mala sæpe suos,
 Optimus en cecidit: Vivâ nos vescimur aurâ:
 Ah, si non veniant his graviora mala.
 Sic debebamus simul una mente dolere
 Hunc casum Patriæ, cum Patriâq; Ducem.
 Sed quos invenias, qui curent talia? rarus,
 Quem moveant verè publica damna, vir est.
 Quid tibi vis insane? tuum cur perdis honorem?
 An nescis, sana nos ratione frui?
 Dum lacrymis decorat cælum, te tristius ipso,
 Principis extincti funera facta Tui.
 Dum toties pluvijs indulget turbidus aër,
 Flavaq; jam crebris imbribus arva rigat:
 Tu moveare nihil: tu stes Marpesia cautes?
 Cautè vel hac si quid durius esse potest.
 Inunc, & Solem tibi mox promitte serenum:
 Inunc, & nubes posse dolore nega,
 Oderunt, si quam leviter mortalia mentem
 Tangunt: humanus, quam dolor urit, amant.
 Ergo Fata Ducis non expectata queramur.
 Læta Duci, nobis tristia fata nimis.
 Nam nos pœna manet vitæ non puriter actæ,
 Si vitæ melius non incamus iter.
 Dux curis liber mundanis, incola cœli
 Factus, inexpleto carmine laudat eum,
 Cujus erat roseo mundatus sanguine: cujus
 Dum vixit, cænæ dignior hospes erat.
 Ergo sistamus lacrymas: fuit alma voluntas
 Facta Patris, nobis qui data sæpe rapit.
 Instemus precibus trito de corde profusis.
 Quid triti precibus gratius ante DEUM?
 Ut consolari VIDUAM dignetur utramq;:
 E quibus hæc Natum, deflet at illa Virum?

Et RVTAE Florem servare superstitis alnum,
 Et, RVTAE quæ sunt addita jure thori,
 Auspicia Princeps ineant TIBI JANE GEORGI,
 Læta magis quæ sint, & diuturna magis.
 Sis felix AVGVSTE Tuæ moderamine terræ,
 Et terræ, quæ fors adjicienda Tuæ.
 AVGVSTVM referatis avum pietatis amore,
 Iusticiæ studio, pacis uterq; fatu.
 Sic umbram captare Tuo sub tegmine tutam,
 Sic dabitur folium carpere RUTA tuum.

℞. ℞.

OMnibus unus amor PATRIAE, sub germinis umbrâ
 RVTÆ SAXONICÆ natis: dolor omnibus unus:
 Omnibus & flendi par sit concordia FUNUS
 CHRISTIANI PATRIÆ PATRIS. Prænobile fidus
 Occidit Arctoæ, non infima gloria, terræ.
 Hoc tibi Fortunæ celi prænuncius axis
 Ventorumq; minax furor - igneus ille volutus
 Oppida Misniacæ vortex per plurima terræ;
 Fulminis hoc crepitus, celi fax ignea multos
 Visa dies, pluvix insolitæ, concussio terræ
 Prædixere diu. Sed duro, MISNIA, callo
 Obducto cur non oculis hæc cernis acutis?
 Cur non is lacrimas? Turpe & miserabile! Nemo?
 Hactenus iratam voluit cognoscere mentem
 Numinis, & verbis mulcere precantibus illam.
 Nænia nunc elegos castiga: carmina leto
 Digna cane HEROVM, rigidos nunc indue foccos.
 Quāquam autem infelix vates miserabile carmen
 Incultosq; sonos fundo, mihi faucibus hæret
 Dum mea lingua meis: at vis tamen insita menti,
 Vis, monet, hoc PATRIÆ PATREM meruisse, Cupressum
 Imponat capiti vates supremus & imus,
 O dolor ô lacrumæ! quanta est discordia rerum?
 Hoc ævo, mala multa bonis permixta sequantur.

Quæ

Quæ facies patriæ? Nam nuper GERMINA TRINA
 RVTÆ SAXONIAE VVITEKINDI à stemmate PRIMI
 Per tot avos proavosq; genus super astra tulerunt:
 SVRCVLVS at cecidit CHRISTIANVS Maximus, cheu!
 Ensis Imperij, qui quondam patre creatus
 CHRISTIANO PRIMO, vitales luminis auras
 Haussit, matre piâ magni de semine BRENNI
 Prælustri SOPHIAE, Nati quæ funera deflet,
 O quoties animo suspiria mittit anhelò
 Aspiciens vacuum thalamum sine compare, carum
 Adspiciens Natum, maturâ morte peremptum!
 Iam reputat secum & meliori examine librat
 Pristina quæ fuerint, quæ secula sintq; futura,
 Dogmata salvifici quanto olim sanguine verbi
 Constiterint, quando fraterno frater amore
 Deposito, hæredes sit regni scribere Papæ
 Ausonij asseclas ausus, nil Numinis iram,
 Celestis veritus, nil conscia numina mentis,
 Fluviorum pater ALBIS ubi sub gurgite inaudit
 MISNIA quos planctus gemebundo eructet ab ore,
 Nubibus attractis celi, sese exerit undis,
 Ostentatq; artus membrorum mæstus, inundat
 TOTAM SAXONIAM, suaves quæ spirat odores
 Floribus atq; rosis, vestita albisq; ligustris.
 Pratorum spoliatur honos: hinc lilia fuscis
 Cum violis pereunt, nimbus ruit omnia latè.
 Omnia testantur luctum! Nicer aggemit Albi,
 Flet quoq; Danubius: tristis se solvit Hieras
 In luctum; flet Sala DVCEM: flet Havelus amœnus:
 Virgo gemit pulcris aliàs assueta Corollis.
 Fratres Saxonix viridissima germina RVTÆ
 Lugent: adstat funere o pullatus amictu
 Luctus, & invitat tristato pectore Matrem,
 Et Viduam, claro REGIS de stemmate DANI
 Progenitam, sequitur quam pullo Syrmate Virgo,
 Et Soror, & Matrôna gravis circumdata peplo.

Sic

Sic ubi ductorem, quem tota armenta sequuntur,
 Spemq; decusq; gregis, Taurum, rapuere Leones
 Armenij; fremitu ac gemitu nemus omne remugit:
 Haud aliter PATRIÆ PATRIS mala fata queruntur
 Quotquot in Arctoi nascuntur lumine Solis,
 MISNIA te testem voco, quæ perterrita luges
 Haftenus ætherio missis de vertice nimbis,

Sed mihi nunc metam pono: tibi, CHRISTE PARENTIS
 Commendo PATRIÆ manes: tibi, CHRISTE, GEORGI
 Imperium JANI: Ducis AUGUSTIq; SECUNDI:
 Et viduæ MATRIS SOPHIÆ: tibi Regia CONIUNX
 Sit curæ: nec non tibi germina bina SORORES,
 SAXONIÆ, tristes clarissima Numina terræ,
 Fac pia, Relligio rursus quasi posthuma crescat,
 Blandaq; securi traducant oia cives.

*M. Iohannes Andrea Waldheimensis,
 Conr. Scholæ Annebergensium P. L.*

EPITAPHIUM ANAGRAMMATICUM.

Dei gratia, CHRISTIANUS

Secundus, Saxonix, Julix, Clivix & Montium Dux;
 Sacri Romani Imperij Archimarscalcus & Elector; Landgravius
 Toringix, Marchio Misnix, & Burgravius Magdeburgensis,
 Comes de Marca & Ravensburg, Dominus
 in Ravenstein.

Q V O D E S T
abjectis duabus aspirat:

GRANDE decus regni, Cor Cæsaris, orbis ocellus,
 Maxima laus generis, gratia mira DUCUM.
 Dux gregis & legis penus, anchora rebus in arctis,
 Sanè divini nominis auctor, abit.
 Divina æternæ meritis commercia vitæ,
 Vivit in æternum gloria summa Ducis.

JOSEPHUS COLMAN Not. Cæs.
 & Senat. Mariæ. ab actis & Epistolis merens f.
 F I N I S.

IS
UX;
vius
s,

WDA





Qting, 8

Vc
3152^a



Principe,
ANO II.
 & Montium, S. R.
 Electore, &c.
EBRIS,
 bisq; conventu,
 is memoriam,
 asti,
 . Inc. XI.
FRANCO,
 toriarum
 Principis inclyti, me-
 s, eod. autore.



Sere.

